PROLOQUIUM.


P. MARTINUS SZENTIVANY
è Societate JESU,
Benevolo Lectori Salutem.

PRopoſueram Dilemmata XV. eáq; affectuoſiſſimè in Hungaria obtuleram omnibus Dominis Acatholicis, pro Xenio Novi Anni 1699. Ad quæ quidem Anonymus quidam ſub ficto nomine *Timothei Philalethi*, conatus fuit reſpondere, ſed tam malè id præſtitit, ut illius reſponſa, nec quidem propoſitas difficultates in meis Dilemmatibus attigerint, minùs easdem ſolverint. Unde etiam refutationem illorum meritò intitulavi; *Reſponſa non Reſponſa*, quam refutationem Typis edidi Anno 1700. Ante paucos autem dies, hoc Anno 1702. pervenerunt ad meas ma-

nũs alia Reſponſa, ad eadem XV. Dilemmata, in Alma Pruſſiorum Albertina Regio-Montana Academia publicè in Auditorio majori propugnata à M. Chriſtophoro Conrado Gœrizio, quæ ſanè ſupponebam (antequam eadem legiſſem) plus ſalis habere, quàm priora illa Reſponſa *Timothei Philalethi*, ſed cùm ea percurriſſem, & exactiùs examinâſſem, deprehendi eadem vel nihil ad rem, vel nihil ad propoſitum eſſe. Quæ duo licèt videantur idem ſonare ac ſignificare, differunt tamē inter ſe: Tunc enim reſpondetur *nihil ad rem*, quando reſpondetur contrarium rectæ reſponſioni, quæ dari deberet ad propoſitam Quæſtionem. Tunc verò reſpondetur *nihil ad propoſitum*, quando reſpondetur ad Quæſtionem propoſitam, id quod in ſe fortaſſis verum aut etiam bonum eſt,

ſed

ſed ad rem propoſitam omnino non pertinet. Exemplo ſit Pædagogus examinans duos ſuos diſcipulos, & petens ab ijſdem, ut dent exemplum in X. unus illorum reſpondet, & dat pro exemplo ad X. ut *Talpa*; alter locò reſponſi recitat aliquid ver. gr. ex *Pater noſter*. Prior dicitur reſpondere *nihil ad rem*, alter *nihil ad propoſitum*: quia licèt bonam rem recitet, ſed ea ad quæſtionem propoſitam à Pædagogo, nihil pertinet. Unde hæc Regio-Montani Academici reſponſa meritò intitulavi: *Lutheranicum nihil ad rem, nihil ad propoſitum*. Non repeto autem hìc ex integro illa XV. Dilemmata cùm eadem repetierim in *Reſponſis non Reſponſis*, ſed ſolùm Quæſtiones in illis contentas excerpo, & adverſarij ad eaſdem reſponſiones adduco, eáſq; tanquàm ineptas & ludicras rejicio, & refuto, ſit igitur: (A2) §I.



§ I.

Quæstiones ex primo Dilemmate.

IN hoc primo Dilemmate quærebam 1. Utrùm Religio seu Ecclesia Lutherana, aut Calviniana sit antiqua vel nova? Ad quam Quæstionem respondet Regio-Montanus hic Academicus, *Religionis authoritatem non esse tempore æstimandam, sed Numine, nec colere quâ die, sed quid cœperis, convenit intueri, inquit Arnobius lib. 7. contra Gentes.* Rejicio hanc illius responsionem. Primò ex eo, quia non respondet directè ad propositam Quæstionem Dilemmaticam, Ita, vel Non: sicut ad similes Quæstiones deberet responderi, sed per diversionem.

Secun-

Secundò. Quia hæc diverſio *nihil facit ad propoſitum.* Non enim pono ſolam antiquitatem pro authoritate Religionis, quis enim neſcit antiquitate Gentiliſmum præceſſiſſe multis Sæculis Chriſtianiſmum, & ab Apoſtolis eidem prædicatum fuiſſe Evangelium, hoc eſt bonum nuncium, ab illo priùs nunquam auditum, de Chriſti vita, morte, ac cœleſti doctrina,atq;contra hos Gentiles valebat illa Arnobij inſtantia,ſed meæ quæſtionis vis in eo conſiſtit, quòd cùm conſtet à Chriſto fuiſſe fundatam veram Eccleſiam, & per Apoſtolos propagatam per univerſum Orbem. Utrùm reſpectu hujus Eccleſiæ Veræ, à Chriſto fundatæ & ab Apoſtolis propagatæ, Eccleſia Lutherana, aut Calviniana ſit Antiqua vel Nova? Et certè nemo nō dicet ex Chriſtianis, alicujus doctrinæ, in Eccleſia

Christi Antiquitatem, maximæ esse authoritatis. Imò ab initio statim Ecclesiæ omnis nova doctrina in rebus Fidei, Fidelibus erat suspecta, & pro falsa habita; Sic & S. Paulus ad Roman. c. 16. v. 17. scribit: *Observate eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam quam vos didicistis faciunt, & declinate ab eis.* Et 1. ad Timoth. 6. v. 20. *O Timothee depositum custodi, devitans profanas vocum Novitates & oppositiones falsi nominis scientiæ.* Et ad Hebr. 13. v. 9. *Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci.* Ac Tertullianus contra Marcionem lib. 4. cap. 4. *Ego meum dico verum, Marcion suum, quis inter nos judicabit nisi temporis ratio, ei præscribens authoritatem, quod antiquius reperitur, & ei præjudicans vitiationem, quòd posterius revincitur.* Ac tandem

S. Hie-

S. Hieronymus Epist. 63. cap. 3. *Cur post quadringentos annos docere nos nituntur, quod ante nescivimus? usque ad hanc horam* (usque ad tempora Lutheri, hoc est usque ad annum 1517.) *mundus Christianus, sinè hac doctrina fuit.* Ita ille. Ergo authoritas doctrinæ Christianæ à longissimo tempore, etiam æstimanda est, quod & ipse Adversarius agnoscit, cùm potiùs elegerit dicere: Lutheranam Ecclesiam esse antiquam, quàm novam.

Sed urgeo Instantiam, quærendo 2. Si est antiqua, ubi fuit ante Lutherum & Calvinum? Respondes. *Fuisse in medio Papatu & sub illo latitâsse.* Rectiùs respondisses, si dixisses: eam fuisse in concavo Lunæ, aut in spatijs imaginarijs. Si enim in medio Papatu latitabat, quomodo vobis post tot sæcula innotuit, & illis, qui tempor

ijs vixerunt, ignota fuit. Et unde tu scis, quòd latitans illa sub Papatu Ecclesia fuerit Lutherana & non potiùs Calviniana, aut Anabaptistica? Præstat proinde ut dicas, *te latere*, ubinam illa latuerit, quàm quòd in medio Papatu latuerit.

Quærebam 3. Quisnam vestram doctrinam ante Lutherum tenuerit aut docuerit? Respondes. *Omnes veri fideles sub Papatu: ut Israëlitæ sub tyrannide anhelantes*, Sed rursus quæro: quinam fuerint illi fideles, & peto mihi à te illos nominari ac designari. Deinde omnes Romanæ Ecclesiæ addicti tunc vocabantur fideles, qui certè non tenuerunt doctrinam Lutheri, Romanæ Ecclesiæ prorsus contrariam & oppositam; demùm non poteris assignare rationem quòd illi fideles fuerint Lutheранae-

therani, & non potiùs Calviniſtæ vel Puritani, aut Anabaptiſtæ. Ergo tua hæc Reſponſio nihil eſt ad ad Rem.

Quærebam 4. Quis veterum Scriptorum Eccleſiæ Lutheranæ aut Calvinianæ meminerit? Reſpondes. *Lege Catalogum Teſtium veritatis, & inquiſitionum lucernas, videbiſque innumeros*. Repono: Legi omnino complures tales Catalogos. Cujuſmodi ſunt: Illyrij Flacci Catalogus, editus circa annum 1556. quem poſtea auxit Simon Goulartius anno 1608. Item Joannis Vuolfij, Lectionum memorabilium Centuriæ ſedecim. Et Libellus Calviniſticus ſub *Itinerarij* titulo. Hos tamen clarè deprehendi non eſſe Catalogos Teſtium veritatis, ſed falſitatis, & non inquiſitionem Lucernarum, ſed mendaciorum tenebras, nec ullum ex ci-

tatis in illis reperi, qui omnia illa tenuisset aut docuisset, quæ Lutherus tenuit & docuit, aut quæ moderni Lutherani tenent ac docent, quod tamen requiritur, ad hoc ut quis Lutheranus dicatur; Et si ratio horum Catalogorum subsisteret, æquè ad illos posset referri, Arius, Mahometes, ac quicunque alij Hæresiarchæ.

Sic enim arguunt horum Catalogorum Authores: Justinus Martyr ex. gr. & Irenæus, Scripturam Sacram summè appretiabant. Hoc faciunt & Lutherani. Ergo S. Justinus & Irenæus fuerunt Lutherani. S. Gregorius M. arguebat malam vitam Sacerdotum. Hoc faciunt & Lutherani. Ergo S. Gregorius fuit Lutheranus. Subsumo. Mahometes tenuit unum dari Deum, hoc tenent & Lutherani. Ergo Mahometes fuit Lutheranus. Arius docuit

posse

posse errare Concilia Generalia, & ipso facto Nicænum Concilium errâsse in sui condemnatione. Lutherani idem docent. Ergo Arius fuit Lutheranus. Quis non videt has pueriles esse consequentias? Ad hoc igitur ut Lutherani ostendant fuisse suam doctrinam ante Lutherum, deberent tales Doctores & Scriptores ostendere ac nominare, qui in omnibus articulis Fidei idem tenuissent ac docuissent, quod tenuit ac docuit Lutherus, ac tenent & credunt moderni Lutherani. Talem autem nullum omninò possunt adducere. Ergo succumbunt in proba.

Quærebam 5. Ubi Doctores ac Pastores habuerit Lutherana Ecclesia, si ea fuit ante Lutherum? Respondet. *Passim in Gallia, Italia, Germania, & alibi.* Audax sanè est hoc mendacium, meliùs dixisses eos fuisse in *Utopia*, hoc est nullibi

& nusquam. Nullum certè hujus tui asserti & Responsionis poteris adducere testem: ex nullis Annalibus Ecclesiasticis, vel Politicis Historicis id probare vales. Et cùm hæc propositio sit affirmativa, argumento positivo illam probare debuisses, quod in æternum non poteris præstare.

Quærebam 6. Ubi templa? ubi exercitium publicum? ubi Administrationes Sacramentorum, secundùm suum Ritum habuerit Lutherana Religio ante Lutherum? Ad hanc Quæstionem sic Respondes. *Malè te parietum amor cæpit, malè Ecclesiam Dei in parietibus venerari.* Ego autem dico quòd malè te dementia cœpit, quòd tam ineptè respondeas. Siccinè respondendum est ad interrogationem ubi? Sed nec ego, aut ullus Catholicorum ponit Religionis essentiam

tiam in parietibus & tectis ac ædificijs. Verùm Templa sunt signa alicujus Communitatis & Congregationis Fidelium, in una Religione convenientis. Sed ne habeas difficultatem circa ædificia Templorum, peto à te, ut solùm aliquem certum locum mihi assignes, in quo subinde saltem, hi Fideles conveniebant, ad devotiones suas peragendas? sive jam ille locus fuerit sylva, sive vorago, sive spelunca; neque hunc vales assignare, quia scilicet nullibi erat, neque ulli tales Fideles, qui ad doctrinam vestram audiendam convenissent, neque ullus Doctor aut Pastor, qui eam illis proponere potuisset. Ad alteram autem partem Quæstionis, nempè ubi habuerunt publicum exercitium, ubi Administrationem Sacramentorum secundùm suum ritum? Nihil omnino respondes.



§ I.

Quæstiones ex primo Dilemmate.

IN hoc primo Dilemmate quærebam 1. Utrùm Religio seu Ecclesia Lutherana, aut Calviniana sit antiqua vel nova? Ad quam Quæstionem respondet Regio-Montanus hic Academicus, *Religionis authoritatem non esse tempore æstimandam, sed Numine, nec colere quâ die, sed quid cœperis, convenit intueri, inquit Arnobius lib. 7. contra Gentes.* Rejicio hanc illius responsionem. Primò ex eo, quia non respondet directè ad propositam Quæstionem Dilemmaticam, Ita, vel Non: sicut ad similes Quæstiones deberet responderi, sed per diversionem.

Secun-

Secundò. Quia hæc diversio *nihil facit ad propositum*. Non enim pono solam antiquitatem pro authoritate Religionis, quis enim nescit antiquitate Gentilismum præcessisse multis Sæculis Christianismum, & ab Apostolis eidem prædicatum fuisse Evangelium, hoc est bonum nuncium, ab illo priùs nunquam auditum, de Christi vita, morte, ac cœlesti doctrina,atq;contra hos Gentiles valebat illa Arnobij instantia,sed meæ quæstionis vis in eo consistit, quòd cùm constet à Christo fuisse fundatam veram Ecclesiam, & per Apostolos propagatam per universum Orbem. Utrùm respectu hujus Ecclesiæ Veræ, à Christo fundatæ & ab Apostolis propagatæ, Ecclesia Lutherana, aut Calviniana sit Antiqua vel Nova? Et certè nemo nō dicet ex Christianis, alicujus doctrinæ, in Ecclesia

Christi Antiquitatem, maximæ esse authoritatis. Imò ab initio statim Ecclesiæ omnis nova doctrina in rebus Fidei, Fidelibus erat suspecta, & pro falsa habita; Sic & S. Paulus ad Roman. c. 16. v. 17. scribit: *Observate eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam quam vos didicistis faciunt, & declinate ab eis.* Et 1. ad Timoth. 6. v. 20. *O Timothee depositum custodi, devitans profanas vocum Novitates & oppositiones falsi nominis scientiæ.* Et ad Hebr. 13. v. 9. *Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci.* Ac Tertullianus contra Marcionem lib. 4. cap. 4. *Ego meum dico verum, Marcion suum, quis inter nos judicabit nisi temporis ratio, ei præscribens authoritatem, quod antiquius reperitur, & ei præjudicans vitiationem, quòd posterius revincitur.* Ac tandem S. Hie-

S. Hieronymus Epist. 63. cap. 3. *Cur post quadringentos annos docere nos nituntur, quod ante nescivimus? usque ad hanc horam* (usque ad tempora Lutheri, hoc est usque ad annum 1517.) *mundus Christianus, sinè hac doctrina fuit.* Ita ille. Ergo authoritas doctrinæ Christianæ à longissimo tempore, etiam æstimanda est, quod & ipse Adversarius agnoscit, cùm potiùs elegerit dicere: Lutheranam Ecclesiam esse antiquam, quàm novam.

Sed urgeo Instantiam, quærendo 2. Si est antiqua, ubi fuit ante Lutherum & Calvinum? Respondes. *Fuisse in medio Papatu & sub illo latitâsse.* Rectiùs respondisses, si dixisses: eam fuisse in concavo Lunæ, aut in spatijs imaginarijs. Si enim in medio Papatu latitabat, quomodo vobis post tot sæcula innotuit, & illis, qui temporibus

ijs vixerunt, ignota fuit. Et unde tu scis, quòd latitans illa sub Papatu Ecclesia fuerit Lutherana & non potiùs Calviniana, aut Anabaptistica? Præstat proinde ut dicas, *te latere*, ubinam illa latuerit, quàm quòd in medio Papatu latuerit.

Quærebam 3. Quisnam vestram doctrinam ante Lutherum tenuerit aut docuerit? Respondes. *Omnes veri fideles sub Papatu: ut Israëlitæ sub tyrannide anhelantes.* Sed rursus quæro: quinam fuerint illi fideles, & peto mihi à te illos nominari ac designari. Deinde omnes Romanæ Ecclesiæ addicti tunc vocabantur fideles, qui certè non tenuerunt doctrinam Lutheri, Romanæ Ecclesiæ prorsus contrariam & oppositam; demùm non poteris assignare rationem quòd illi fideles fuerint Lu-

therani, & non potiùs Calvinistæ vel Puritani, aut Anabaptistæ. Ergo tua hæc Responsio nihil est ad ad Rem.

Quærebam 4. Quis veterum Scriptorum Ecclesiæ Lutheranæ aut Calvinianæ meminerit? Respondes. *Lege Catalogum Testium veritatis, & inquisitionum lucernas, videbisque innumeros.* Repono: Legi omnino complures tales Catalogos. Cujusmodi sunt: Illyrij Flacci Catalogus, editus circa annum 1556. quem postea auxit Simon Goulartius anno 1608. Item Joannis Vuolfij, Lectionum memorabilium Centuriæ sedecim. Et Libellus Calvinisticus sub *Itinerarij* titulo. Hos tamen clarè deprehendi non esse Catalogos Testium veritatis, sed falsitatis, & non inquisitionem Lucernarum, sed mendaciorum tenebras, nec ullum ex ci-

catis in illis reperi, qui omnia illa tenuisset aut docuisset, quæ Lutherus tenuit & docuit, aut quæ moderni Lutherani tenent ac docent, quod tamen requiritur, ad hoc ut quis Lutheranus dicatur; Et si ratio horum Catalogorum subsisteret, æquè ad illos posset referri, Arius, Mahometes, ac quicunque alij Hæresiarchæ.

Sic enim arguunt horum Catalogorum Authores: Justinus Martyr ex. gr. & Irenæus, Scripturam Sacram summè appretiabant. Hoc faciunt & Lutherani. Ergo S. Justinus & Irenæus fuerunt Lutherani. S. Gregorius M. arguebat malam vitam Sacerdotum. Hoc faciunt & Lutherani. Ergo S. Gregorius fuit Lutheranus. Subsumo. Mahometes tenuit unum dari Deum, hoc tenent & Lutherani. Ergo Mahometes fuit Lutheranus. Arius docuit

posse

posse errare Concilia Generalia, & ipso facto Nicænum Concilium errâsse in sui condemnatione. Lutherani idem docent. Ergo Arius fuit Lutheranus. Quis non videt has pueriles esse consequentias? Ad hoc igitur ut Lutherani ostendant fuisse suam doctrinam ante Lutherum, deberent tales Doctores & Scriptores ostendere ac nominare, qui in omnibus articulis Fidei idem tenuissent ac docuissent, quod tenuit ac docuit Lutherus, ac tenent & credunt moderni Lutherani. Talem autem nullum omninò possunt adducere. Ergo succumbunt in proba.

Quærebam 5. Ubi Doctores ac Pastores habuerit Lutherana Ecclesia, si ea fuit ante Lutherum? Respondet. *Passim in Gallia, Italia, Germania, & alibi.* Audax sanè est hoc mendacium, meliùs dixisses eos fuisse in *Utopia*, hoc est nullibi

& nusquam. Nullum certè hujus tui asserti & Responsionis poteris adducere testem: ex nullis Annalibus Ecclesiasticis, vel Politicis Historicis id probare vales. Et cùm hæc propositio sit affirmativa, argumento positivo illam probare debuisses, quod in æternum non poteris præstare.

Quærebam 6. Ubi templa? ubi exercitium publicum? ubi Administrationes Sacramentorum, secundùm suum Ritum habuerit Lutherana Religio ante Lutherum? Ad hanc Quæstionem sic Respondes. *Malè te parietum amor cæpit, malè Ecclesiam Dei in parietibus venerarts.* Ego autem dico quòd malè te dementia cœpit, quòd tam ineptè respondeas. Siccinè respondendum est ad interrogationem ubi? Sed nec ego, aut ullus Catholicorum ponit Religionis essen-

tiam

tiam in parietibus & tectis ac ædificijs. Verùm Templa sunt signa alicujus Communitatis & Congregationis Fidelium, in una Religione convenientis. Sed ne habeas difficultatem circa ædificia Templorum, peto à te, ut solùm aliquem certum locum mihi assignes, in quo subinde saltem, hi Fideles conveniebant, ad devotiones suas peragendas? sive jam ille locus fuerit sylva, sive vorago, sive spelunca; neque hunc vales assignare, quia scilicet nullibi erat, neque ulli tales Fideles, qui ad doctrinam vestram audiendam convenissent, neque ullus Doctor aut Pastor, qui eam illis proponere potuisset. Ad alteram autem partem Quæstionis, nempè ubi habuerunt publicum exercitium, ubi Administrationem Sacramentorum secundùm suum ritum? Nihil omnino respondes.

Et certè præstat ut silentio has quæstiones prætereas, quàm ut nihil ad rem, & nihil ad propositum ad eas respondeas. Et sic cùm defacto estis Ubiquistæ, ante Lutherum fuistis Nullibistæ.

Quærebam 7. Si Lutherana Religio fuit ante Lutherum. Cur in articulis seu Decretis Sancti Stephani primi Christiani Regis Hungariæ, vel S. Ladislai Regis, vel antiquorum Regum Hungariæ nulla fiat illius mentio. Respondes. *Quia tunc parùm curabatur, imò Principes, Reges, ac Imperatores, Tyrannide Papali erant constricti.* Parum dixisti, quando asseruisti, quòd parum tunc curabatur, dico ego quòd nihil curabatur, quia penitùs ignorabatur, quod enim non est, nihil curatur. Quæ enim potest esse æstimatio illius, quod non est. Religio autem vestra tunc non

fuit, ergo nihil curabatur. Imò nec defacto curatur, seu æstimatur, nisi à solis vobismetipsis. Catholici enim illam pro hæresi, eáque pessimè consarcinata habent, & ab ipsis etiam Calvinistis, Anabaptistis, & Arianis irridetur, & pro Simia Papistarum habetur, ita ut vestra Religio nec sit piscis, nec caro, dum nec Catholicæ Fidei adhæretis, & tamen multa adhuc ex eadem retinetis. Et ut verum fatear, licèt omnes Hæreses abominer, & erroneas, ac mendaces esse sciam, nullam tamen ex novis hujus, & prioris Sæculi Sectis, judico magis inconsequenter loqui, quàm vestram. Aliæ enim Sectæ ut Calviniana, Anabaptistica, & Ariana, magis quidem recedunt à vera Christi Ecclesia, quàm vos, sed tamen magis consequenter mentiuntur, vestra autem Religio, planè

nè inconnexissimè mentitur. Illæ siquidem ex eodem vestro ac illorum principio universali, multas illationes & consequentias legitimè illatas inferunt, tenent ac docent, vos autem admisso eodem principio, propositiones & illationes, quæ necessariò ex illo sequuntur impudentissimè negatis. Exemplo sit: vestrum ac aliarum moderenarum Sectarum universale principium est, *Nihil esse tenendum aut credendum, nisi quod est in Scriptura Sacra clarè expressum.* Hæc propositio cùm sit Universalis Negativa, necessariò excludit omnes particulares affirmativas. Summa siquidem & formalis contradictio est: Inter universalem negativam & particularem affirmativam. Et juxta Dialecticorum Regulam: *Dici de omni, & dici de nullo*, si Universalis Negativa est vera, nulla parti-

particularis affirmativa propositio potest esse vera. Jam ex dicto principio universali: *Quòd nihil sit tenendum & credendum, nisi quod est clarè expressum in Scriptura Sacra.* Calvinistæ bene inferunt. Ergo Festa Sanctorum non sunt celebranda, quia hoc nullibi est clarè in Scriptura expressum. Anabaptistæ bene inferunt: Ergo infantes non sunt baptizandi, quia hoc in Scriptura Sacra nullibi est clarè expressum. Ariani non credunt, quòd in Divinis Filius æqualis sit Patri, quia hoc in Scriptura Sacra nullibi est clarè expressum. Hæ enim illationes omnes sunt bonæ, ex suppositione quòd illa universalis negativa est vera. Vos autem & Festa Sanctorum celebratis, & infantes baptizatis, & Filium in Divinis esse æqualem Patri creditis. Ergo vel Universalis illa Negativa, nempè:

Quòd

Quòd nihil sit tenendum aut credendum, nisi quod est clarè in Scriptura Sacra expressum. Est falsa. Vel has illationes debetis admittere; aut si has negatis, negare debebitis & Propositionem illam Universalem Negativam.

Deinde altera pars Responsionis tuæ ad hanc Quæstionem, dum inquis: *Quia tunc ipsi Principes, Reges & Imperatores Tyrannide Papali erant constricti.* Quid aliud significat, quàm quòd tunc omnes Principes, Reges ac Imperatores, & consequenter omnes subditi ac populi eorum fuerint Romano-Catholici. Ergo tunc nullibi erant Lutherani.

Demùm calumniosè convitiaris, dum hanc subordinationem Principum, Regum ac Imperatorum in Rebus Spiritualibus vocas Tyrannidem. Hoc enim convenientissimum est, ut omnia membra

bra ſint ſub uno capite,ut ſic juxta doctrinam S. Pauli 1. Cor. 12. v. 2. *Multa quidem membra unum corpus efficiant*. Et certè præſtat corpus habere cum capite, quàm acephalum & ſinè capite , vel cum multis capitibus, qualis eſt veſtra Eccleſia, quæ nullum caput agnoſcit, & ideo in articulis Fidei, tot inter vos ſunt opiniones, quot capita, & tot capita quot homines.

Quærebam 8. Cur primò ſub Ludovico II. Rege Hungariæ, in articulis Regni, Anni 1523. fiat Lutheranæ Religionis mentio , quando ut novitia, & antecedenter prorſus incognita, in Generalibus Regni Comitijs, proſcripta fuit? Reſpondes. *Quia illud Papatûs Tyrannis effecit , quæ veritatem Evangelicam ſole clariorem ferre non potuit*. Rectè mentitus es in caput tuum. Ergo hæc lux Evange-

lica

lica Sole clarior (scilicet) non illuxit Hungariæ ante Annum 1523. Ergo verum est id, quod in articulo illo Regni declaratur: quòd sit novitia, & antecedenter prorsus incognita. Ergo hæc aurora lucida, non est exorta per tot Sæcula? Ergo priùs non fuit in Hungaria? Sed neque in Germania, aut alibi ante Annum 1517. seu ante Lutherum. Verè in hanc fictitiã lucem quadrat illud Isaiæ 5. v. 20. *Ponentes tenebras lucem, & lucem in tenebras.* Et ibidem v. 30. *Lux quæ obtenebrata est in caligine sua.*

Quærebam 9. Cur Lutheranæ Religionis liberum exercitium primò à Matthia II. Rege Anno 1606. expetitum, si non potiùs extortum fuerit? Respondes. *Quoniam (inquis) veritatis efficacia falsitatis violentiam vicit.* Sed miser, fortassis

tassis ignoras, quòd non rationum momentis, & veritatis examine, hoc exercitium liberum Lutheranæ Ecclesiæ in Hungaria impetratum fuit? verùm metu Rebellionis quæ innata est Hæresibus, & occasione tumultuum, qui tunc exorti fuerant. nec cum consensu omnium Regnicolarum, utpotè cui contradixit totus Status Ecclesiasticus,& Catholici alij omnes, insuper permissum fuit certis duntaxat sub conditionibus, & limitationibus, & ne id cum aliquo præjudicio Catholicæ Religionis fiat, quas tamen conditiones vos minimè observâstis: contractus autem vel Privilegium sub conditionibus datum, ijs non servatis ab eo cui datur, nullum est, & dantem seu concedentem non obligat. Ergo exercitium liberum Religionis Lutheranæ, non est liberaliter con-

cessum

cessum sed extortum, reluctante etiam ipsâ conscientiâ Regis Matthiæ II. Unde is postmodum factus Rex Bohemiæ, ac Germaniæ, sæpè ingemiscens, dicebat: nullam sibi graviorem Coronam esse quàm Hungariæ, eò quòd aliæ Coronæ solùm caput premerent, hæc autem etiam conscientiam, ob indultum datum Lutheranis habendi publicum novæ suæ Religionis exercitium.

Deinde quæro, quænam sit illa tanta efficacia veritatis Religionis Lutheranæ, quàm in hac responsione adducis? Cùm S. Joannes Apostolus 1. suâ Epistolâ cap. 2. v.4 dicat: *Qui dicit se nôsse (Deum,) & mandata ejus non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est.* Lutherani autem non tantùm non custodiunt mandata Dei, sed dicunt ea, nec quidem posse eà à se custo-

ſtodiri. Ergo in Religione Lutherana non eſt veritas (taceo efficacia veritatis) ſed grande mendacium.

Poſtremò ad alteram partem mei Dilemmatis, quæ fuit : *Sin verò eſt nova?* Ergo non fuit à Chriſto inſtituta ante annos mille quingentos, non audes negare hanc illationem, ſed ſolùm invertis meam propoſitionem, dicendo : *Non eſt nova, ſed à Chriſto inſtituta, ab Apoſtolis propagata.* Et nec verbulo quidem probas, hanc tuam propoſitionem. Ego autem viciſſim hanc tuam propoſitionem inverto. *Eſt nova*, non eſt à Chriſto inſtituta, nec ab Apoſtolis propagata, ſed à Luthero deformata, ac conſpurcata. Et ſingulas partes meæ propoſitionis ſic probo. *Eſt nova.* Quia nullibi & nuſquam fuit in rerum natura, ante Annum 1517.

vel

vel ostendatur ubi fuerit? quando fuerit? quis doctrinam illius tenuerit & docuerit? *Non est à Christo instituta.* Quia Ecclesia à Christo instituta est Lucerna, quæ non sub modio sed super candelabrum posita est. est Civitas supra montem collocata, quæ abscondi non potest. est in petra fundata, quæ deficere non potest. adeóque visibilis & indefectibilis. Lutherana autem Ecclesia juxta ipsorummet doctrinam fuit abscondita, occulta, invisibilis, potens deficere & errare in Fide. Ergo. Tertiò. *Non est ab Apostolis propagata.* Quia Ecclesiæ ab Apostolis propagatæ, Deus dedit, *Pastores, ac Doctores ad consumationem Sanctorum in ædificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes, &c.* id est usque ad diem Judicij universalis. Ad Ephes. 4. v. 12. *Prædicabitur in universo*

verso Orbe, in Testimonium omnibus Gentibus. Matth. 24. v. 30. Lutherana verò Ecclesia non habet hanc succeſſionem Paſtorum, & Doctorum, nullos enim suos Paſtores aut Doctores deducere poſſunt Lutherani à temporibus Apoſtolorum uſque ad tempus Lutheri; illius doctrina non eſt prædicata in universo Orbe, ſed tantùm in aliquibus partibus Europæ, nec omnibus Gentibus, ſed ſolùm Germanicæ Nationi, nec pervenit ad ultimum Terræ, ſed duntaxat ad vicinas aliquas Provincias Germaniæ. Quartò *Non eſt Reformata à Luthero, ſed deformata & conſpurcata.* Suſtulit ſiquidem Lutherus ex ſua Eccleſia bonorum operum & virtutum Chriſtianarum exercitium: ſuſtulit obſervationem Legis Divinæ: ſuſtulit Dei timorem: ſuſtulit continentiam, Virgini-

ginitatem & castitatem : induxit licentiam ad omnia scelera, & peccata, &c. Ergo Responsiones tuæ ad Quæstiones hujus Dilemmatis, nihil sunt ad rem, nihil ad propositum.

§ II.

Quæstiones in Dilemmate Secundo.

IN Secundo Dilemmate Quærebam 1. Utrum tam Lutherani, quàm Calvinistæ in Hungaria Evangelici sint dicendi vel non? Si ita, Quomodo igitur contrarias & oppositas inter se opiniones circa articulos Fidei tenent, & adinvicem se gravissimorum errorum condemnant? Sic enim utraque Religio conformis Evangelio esse non potest, adeoque nec utrique qui eas amplectuntur dici Evangelici, Evangelium siquidem sibi non contradi-

tradicit. Respondes. *Reformati (quos ego Calvinistas voco) habent ætatem, idcircò pro se loquantur.* Verùm Calvinistæ idem dicere æquali jure possunt: Lutherani habent ætatem, idcircò loqvantur pro se. Ego autem sic urgeo argumentum: Evangelici sunt illi dicendi, quorum Doctrina est conformis Evangelio, sed utriusque hujus Religionis doctrina non est conformis Evangelio: Ergo utraque hæc Religio non potest dici Evangelica. Minorem probo. Quia duæ doctrinæ contradictoriæ non possunt esse conformes uni eidémq; Evangelio, sicut duo inter se inæqualia, non possunt æqualia esse uni tertio. Sed doctrina Lutheranæ & Calvinianæ Religionis in multis est sibi contraria, imò & contradictoria. Ergo utraq; hæc Religio non est conformis Evangelio, Ergo utraque non po-

test dici Evangelica. Ergo utraque non poteſt conſtituere unum Statum Evangelicum.

Quærebam 2. Cùm utraq; hæc Religio non poſſit dici Evangelica, cur ſoli Lutherani appropriant ſibi nomen Evangelicorum? Petiiq; & peto hujus rationem iteratò à Lutheranis, ſed talem quæ ſolis Lutheranis convenit, & non etiã Calviniſtis, & quam Calviniſtæ non poſſint ſibi æquè ac ſuæ doctrinæ applicare ac Lutherani. Reſpondes, & das iſtam hujus rei rationem. *Quia conſenſus cum Evangelio Lutheranos Evangelicos facit.* Bone vir, eſtnè hæc ratio talis, quam æquali jure non poſſint applicare pro ſua doctrina Calviniſtæ? Illi enim idem dicere poſſunt æquali jure: Quia conſenſus cum Evangelio, Calviniſtas Evangelicos facit. Ergo hæc tua Reſponſio, ad

præ-

præsentem quæstionem, iterum nihil est ad rem.

Quærebam 3. Cur cùm contrarias inter se doctrinas Fidei teneant, utrique sub uno nomine Statûs Evangelici comprehendi volunt? Respondes. *Quia Entia Statuum præter necessitatem multiplicare noluerunt*. Sed quæro iterum, cur ergo Anabaptistas, & Arianos sub nomine Statûs Evangelici non voluerunt esse comprehensos? Hi enim pariter dicunt doctrinam suam Evangelio esse conformem? Et peto à vobis rationem, cur hi debeant excludi à nomine Statûs Evangelici? & soli Lutherani & Calvinistæ in eo includi? Quæro insuper. Cùm Entia Statuum præter necessitatem multiplicari non debeant. Cur istum Statum quintum, Evangelicum scilicet superinduxistis (& quidem tanto cum

tumultu :) quatuor antiquis Statibus Regni nempè: Ecclesiastico, Magnatum, Nobilium & Civitatum Liberarum? Certè nulla fuit hujus quinti Statûs necessitas, & est quinta rota in curru. Tot siquidem Sæculis stetit & florebat Hungaria sinè hoc quinto Statu, & subsequentibus temporibus expertum est Regnum magno suo malo, quantùm sibi tam in Comitijs Generalibus, quàm in administrandis negotijs publicis incommodaverit. Deinde subjungebam: Quòd hic quidem ipse Status Evangelicus nec quidem de nomine priscis temporibus in Hungaria notus fuit, nec unquam inter Statûs computatus, sed primò priori Sæculo è latebris emerserit, igitur est novus, & consequenter & Religiones ex quibus conflatur, sunt novæ, adeóque ab ipso Christo minimè institutæ.

tutæ, Reſpondes. *Stultum eſt, cùm de re conſtat, litigare de nomine.* Repono & peto à te mihi oſtendi, quòd in re aliquando extiterit hic Status Evangelicus ante decimum ſextum Sæculum in Hungaria? Pervolve quæſo totum Corpus Juris Hungarici, Annales & Hiſtorias Hungariæ revolve, ſcrutare omnia antiqua literalia inſtrumenta, quæ in Archivijs conſervantur, & nec quidem veſtigium invenies, quòd aliquando in rerum natura, ante decimum ſextum Sæculum fuerit hic Status Evangelicus.

Ne tamen nihil dixiſſe videaris, ad illa mea verba, quæ in hac parte Dilemmatis addidi: quòd primò Sæculo priori, hic quintus Evangelicus Status è latebris emerſerit, ſic exclamas: *Cadaveroſa conſequentia? Navis etiam antiqua è fluctibus emerſit, Ergo erit nova?* Verùm

nùm hæc tua Stentoria exclamatio, nihil est ad rem, & instantia tua ab antiqua navi, nihil est ad propositum, debuisses enim priùs probâsse, quod hic Status Evangelicus, antiquitus fuerit in Hungaria, & quòd prioribus etiam temporibus extiterit, & postea depressus fuerit, & tunc valuisset aliquid, tua à Navi instantia. Hoc autem ostendere non poteris. Ergo immeritò illatam à me consequentiam, vocas *cadaverosam*. Assumo igitur aliam instantiam: Fungus in vere emersit è terra, qui priùs à nullo fuit visus esto diligenter exquisitus. Nonnè bene infero? Ergo hic fungus primò è terra emersit. Ergo etiam bene infero: Hic quintus Status Evangelicus, ante initium prioris Sæculi, à nullo est visus vel cognitus, & nec quidem per famam fuit ulli notus. Ergo de novo so-

vo solùm priori Sæculo è latebris emersit. Atque hæc instantia à Fungo demonstrat, quòd tuum effugium ad instantiam à Navi nec fungum valeat.

§ III.

Quæstiones ex Dilemmate Tertio.

IN hoc Dilemmate Quærebam 1. Hungari, & Pannones tempore S. Stephani Regis, conversi ad Christi Fidem, vel sunt conversi ad veram Christi Fidem, vel non? Respondes. *Aliquos ex ijs conversos fuisse ad veram Fidem, aliquos ad falsam, & illos dicis conversos ad veram Fidem, qui Baptismo initiati Sacram Scripturam receperunt & in merito Christi unico sperantes ex hac vita decesserunt; perversos autem illos fuisse, qui Idololatriam Pontificiam Gentili de-*

teriorem susceperant. Examinêmus paulisper hanc tuam stramineam, ineptam, calumniosam, & *nihil ad rem* responsionem. Ut igitur meæ quæstionis legitimus sensus, & tuæ respõsionis inefficacia pateat, prius videndum est, quæ & qualisnam illa Fides ac Religio fuerit, ad quam conversus est S. Stephanus Rex, & Hungari ac Pannones Regnicolæ. Id autem pleniùs scire non possumus, quàm ex vita & rebus gestis S. Regis Stephani, vitam autem & res gestas illius non aliunde meliùs, quàm ex Scriptoribus & Chronologis, & ex his nonnullis Synchronicis seu talibus, qui eidem convixerunt, aut saltem illo tempore de ijs scripserunt, dum adhuc recens earum esset memoria, & de ijsdem oculati testes attestari poterant. Ex his igitur constat S. Stephanum Regem Ritu Ro-

mano-

mano-Catholico fuisse baptizatum, in Fide eadem à Sacerdotibus & Religiosis Romano-Catholicis educatum ac instructum, cum pluribus alijs Proceribus, ab eodem evocatos fuisse undique varios Religiosos & Monachos, ad conversionem populorum sibi subjectorum: Decem item Episcopatus Catholicos, ab eodem fuisse fundatos, eundem Regiam Coronam à Romano Pontifice impetrâsse & accepisse, multa Monasteria Religiosorum ab eodem exstructa fuisse, Sanctorum Reliquias Româ expetijsse, Romanum Pontificem pro capite Ecclesiæ agnovisse; ac ab eodem benedictionem & confirmationem Episcopatuum à se fundatorum obtinuisse: statuisse, ne ullus in Regem Hungariæ assumeretur nisi sit Catholicus, severas Leges in prævaricantes Præcepta

Ecclesiæ constituisse, inter Sacerdotum Catholicorum & Religiosorum manus piè obijsse, percepto priùs Extremæ Unctionis Sacramento, more & Ritu Catholico, ac præmissâ Confessione Sacramentali factâ Sacerdoti, & post eam Viaticum seu Corpus, & Sanguinem Christi in Eucharistia sub una specie duntaxat sumpsisse, ac Regnum Hungariæ Beatissimæ Virginis patrocinio commendâsse. Ex quibus omnibus Sole meridiano clariùs est, eundem in Fide Romano-Catholica vixisse & mortuum fuisse. Talis autem Religio, qualem tu fingis, quam dicis præcisè in eo constitisse, ut quis sit baptizatus, & Sacram Scripturam recipiat, ac in merito Christi unico (& nihil interim boni agat, nulláque peccata ac scelera caveat) spem certissimam salutis suæ ponat,

nat, tunc temporis nulla omnino, & nullibi fuit. Equidem etiam Romano-Catholici requirunt ad salutem suam, tanquam primaria fundamenta, merita Christi, requirunt & Fidem Divinam, quæ soli revelationi Divinæ innititur, requirunt & Baptismum, sed præter hæc etiam alia quæ in Scriptura Sacra, tanquam media necessaria nobis commendantur, cujusmodi sunt: 1. Observatio Legis Divinæ, juxta illud Christi Domini: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, Matth. 19. Requirunt & Pœnitentiam, ex ejusdem Christi doctrina: *Nisi pænitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Lucæ 13. v. 30. Et S. Petri: *Pænitentiam agite.* Actorum 2. v. 28. Requirunt, ut qui vult salvus fieri, caveat omnia peccata mortalia, juxta doctrinam S. Pauli 1. ad Corinth. 6. v. 9. & 10.

Nolite errare, neque fornicarij, neque Idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, Regnum Dei possidebunt. Requirunt etiam exercitia bonorum operum, juxta doctrinam S. Petri 1. v. 10. *Satagite, ut per bona opera, certam vestram vocationem faciatis.* Et hæc fuit semper doctrina veræ Christi Ecclesiæ, & quam semper tenuit, & nunc quoque tenet Ecclesia Romano-Catholica. Manet igitur mea quæstio insoluta. Videlicet: utrùm S. Rex Stephanus, & Hungari ac Pannones amplectendo Fidem Romano-Catholicam & ex paganismo ad eam conversi, sint conversi ad veram Christi Fidem, vel non? Si ita. Infero: Ergo Fides Romano-Catholica, est vera Fides Christiana.

Si

Si non ? Ergo veræ ſunt meæ illationes, Nempè : Ergo Converſio Hungariæ ad Chriſti Fidem non debet computari à 700. annis, ſed solùm à centum & aliquot annis, quando ſcilicet Lutheraniſmus & Calviniſmus clancularie & furtim ſubintravit Hungariam. Ergo omnes Prædeceſſores & Progenitores noſtri Chriſtiani, per converſionem à Paganiſmo ad Chriſti Fidem, & per perſeverantiam in illa fuerunt decepti. Ergo omnes damnati.

Ad has illationes reſpondes valdè frigidè. Et primam illationem ais *Non bene procedere.* Probo itaque eam optimè procedere : Certum ſiquidem eſt, Hungaros & Pannones aliquando ex Paganiſmo converſos eſſe ad Chriſti Fidem veram. Sed juxta te non ſunt converſi ad veram Chriſti Fidem tem-

pore

pore S. Stephani Regis, qui hanc Converſionem inſtituit, circa Annum Chriſti milleſimum, inchoativè. Ergo Converſio Hungariæ ex Paganiſmo ad veram Chriſti Fidem non debet computari à 700. annis. Modificas dein tuam inſulſam reſponſionem dicendo: *Quaſi vero non indiguerit ulteriori in poſteris reformatione?* Verùm hâc tuâ modificatione oſtendis te nec hoc quidem ſcire, quid nominis & rei ſit Reformatio. Reformatio igitur alicujus rei, eſt idem, ac ad primam & priſtinam formam ejuſdem reductio. Cùm igitur prima forma Converſionis Hungariæ fuerit Religio Romano-Catholica, debuiſſet ad eam iterum per reformationem reduci, ſi ab ea in aliquo defeciſſet. Quod certè vos Lutherani & Calviniſtæ non facitis, quin potiùs eandem (licèt incaſſum)

caſſum) evertere conamini. Ergo non Reformatores, ſed deformatores Religionis eſtis.

Ad ſecundam meam illationem nempè. Ergo omnes Prædeceſſores & Progenitores noſtri Chriſtiani, ſunt decepti per converſionem ex Paganiſmo ad Fidem Chriſti,& per perſeverantiam in illa (ſi illa Fides ad quam ſunt converſi, non fuit vera Chriſti Fides) nihil penitùs reſpondes, ſed neque habes quod obgannias.

Ad tertiam verò. Ergo omnes ſunt damnati, Reſpondes, negando. *Si in Fide & in merito Chriſti recumbentes placidè obdormiverunt, adeóque Fide ſuâ ſunt ſalvati, Juſtus enim ex Fide vivit.* Hebr. 10. v. 38. Sed iterum nihil ad propoſitum. Quæſtio enim fuit, de ijs qui in Fide quidem & merito Chriſti recumbentes placidè in

in Domino obdormiverunt, atque in Fide sua, sed non mortua, verùm charitate perfectâ, seu observatione mandatorum Dei, fugâ peccatorum, pœnitentiâ, & alijs bonis operibus, ex gratia Dei, & meritis Christi factis, seu in Fide Romano-Catholica, & illius fideli observatione vixerant & mortui sunt. Ac de his quoque fuit illa illatio. Ergo omnes damnati sunt, si illorum Fides non erat vera Christi Fides. Ad illud quod addis ex Scriptura: *Justus ex Fide vivit*, verissimum id esse, sed non ex sola Fide. Nam juxta S. Paulum Apostolum: *Etiam si quis talem Fidem habeat ut montes transferat, charitatem autem non habeat, nihil est.* 1. ad Corinth. 13. v. 2.

Urgebam dein, quòd hæc Conversio Hungariæ ad veram Christi Fidem, non possit prudenter referri

ferri ab adverſarijs ad tempora illa, quibus Lutheraniſmus & Calviniſmus ſubintrârunt Hungariam. Siquidem ab eo tempore tanta ſubingreſſa eſt impietas in Hungariam, tanta ſcelera, tanta maledicta & perjuria, tales execrationes, & blaſphemiæ, quales priùs in Hungaria nunquam fuerunt auditæ, adeò ut non converſio Gentis, ſed perverſio, hæc mutatio ſit dicenda. Ergo. Ad hæc reſpondes: *ineptiſſima ſequella? Quaſi verò ubi Deus ædificat, non diabolus itidem coædificare & ſcandala ſerere poſſet.* Ego autem clarè oſtendo aptiſſimam eſſe à me illatam ſequellam, & accipio pro medio termino meæ probationis Verba illa Chriſti Matt. 7. *Attendite à falſis prophetis, qui ad vos veniunt in veſtibus ovium*, (nempè in denſiſſima Sacrarum Scripturarum citatione, & nihil aliud

aliud in ore habentes, quàm Evangelij prædicationem) *intrinsecus autem sunt lupi rapaces* (viam ad omnia vitia & scelera laxantes) *ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? *Mala enim arbor non poterit bonos fructus facere.* Hæc autem impietas, hæc tanta scelera, talia maledicta & perjuria, tales execrationes & blasphemiæ, sunt fructus vestræ doctrinæ, qui docetis præcepta Dei observari non posse; propter nullum peccatum damnari hominem, nisi propter infidelitatem; bona opera non esse necessaria & utilia ad salutem, sed sufficere solam Fidem, omnia peccata esse æqualia, ac consequenter peccatum blasphemiæ non esse majus peccatum, quàm unum verbum otiosum. his enim & alijs similibus doctrinis,

si quis sit imbutus, quid mirum! si ruat in tanta scelera? Nòn erat ergo opus, ut recurreres ad illam exceptionem: *Quasi verò ubi Deus ædificat, non diabolus itidem coædificare & scandala serere posset.* Hæc siquidem scandala immediatè, & per se, ex vestra doctrina consequuntur. Non igitur vestra Ecclesia est à Deo ædificata. *Quia qui facit peccatum, ex diabolo est.* 1. Joannis 3. v. 8. Ergo & doctrina illa ex qua sequuntur tanta peccata, non est à Deo inspirata, sed à diabolo suggesta.

Altera pars hujus Dilemmatis mei fuit. Si *ita*, hoc est: Si Hungari, & Pannones, ex Paganismo conversi sunt ad veram Christi Fidem, cùm hæc non fuerit alia: quàm Romano-Catholica. Intuli: Ergo hæc sola est vera Fides, & salvifica. Ad hanc ultimam illationem

nem sic Sarcasticè respondes. *Funiculi ex arena? Nonnè perfida Romana Ecclesia impuris manibus, verbum Dei incorruptibile, illud semen spargere potuit? Nonnè etiam apostatica, idololatrica, falsa & meretricia Ecclesia, veros vero Deo generavit filios?* Ezech. 16. v. 21. *Nonnè Antichristus Papa Romanus sedebit in Templo Dei?* 2. Thess. 2. v. 4. Qualis quæso est hæc tua responsio? Certè non Doctoralis, non Magistralis, indigna Academico Regio-Montano Auditorio. Nihil faciens ad rem, nihil ad propositum, pugnus ad oculum, mendax, & calumniosa, ac anilis, vetularum siquidem proprium est, cùm convictæ respondere non possunt, ad calumnias & convitia confugere. Et apud me evidens argumentum est, quòd quando quis respondens devenit ad sarcasmos, & calumnias,

quòd

quòd deficiat in proba & argumento, & hoc ipſo oſtendat ſe excuſſum eſſe ex argumento, vel deficere in reſponſione, ac convictum eſſe. Contemno igitur tuas in hac reſponſione calumnias, canum ſiquidem latratus non pertingunt ad cœlum. Illud tamen miror, quòd cùm dicas argumentum meum eſſe *Funiculum ex arena*, non ſcias, nec valeas illud diſſolvere, directè & in forma ad illud reſpondendo. Igitur idem argumentum tibi iterum & clariùs in forma ſic propono: Illa Fides eſt vera & ſalvifica, in qua ſalvantur & ſalvari poſſunt Fideles eandem profitentes, & ſecundùm doctrinam illius viventes. Anteceſſores & Progenitores noſtri ſalvati ſunt in Fide Romano-Catholica, eandem profitentes. & ſecundùm doctrinam illius viventes. Ergo Fides

Ro-

Romano-Catholica est vera Fides & salvifica. Majorem concedere debes. Quia omnes qui salvantur placent Deo, sinè vera Fide autem est impossibile placere Deo. Ergo qui salvantur debent esse in vera Fide. Minorem verò negare non potes, quia aliàs altera pars mei Dilemmatis, nimirum. Ergo omnes nostri Antecessores, & Progenitores qui vixerunt in Fide Romano-Catholica à temporibus S. Regis Stephani, usque ad Lutheranismi inductionem in Hungariã sunt damnati, esset vera, quam tamen tu universaliter concedere non audes. Consequentiam igitur hanc: Ergo Fides Romano-Catholica est vera. & salvifica, admittere debes, nisi planè pertinacem & imprudentem te esse fatearis, aut si eam negaveris, baculo non argumento tibi probandam esse ostenderis. Jam sub-

subsumo. Sed si Fides Romano-Catholica est vera Fides, & salvifica, ergo sola illa est vera & salvifica. Ergo, omnes aliæ Sectæ, ab ea in doctrina Fidei dissentientes sunt falsæ. Quia sicut unus est Deus verus, adeóque solus, ita una Fides est vera & salvifica, adeóq; sola, juxta illud testimonium Scripturæ Sacræ: *Unus Deus, una Fides, unus Baptismus*. ad Ephes. 4. v. 5. Non igitur hoc meum argumentum est funiculus ex arena, sed funiculus triplex, quem tu dissolvere non vales.

§ LV.

Quæstiones ex Quarto Dilemmate.

IN hoc Dilemmate quærebam 1. Vel aliqui salvari possunt & salvati sunt in Fide Romano-Ca-

tholica, vel non? Respondes. *Nullos salvari posse in Fide hodierna Romana Ecclesiæ Antichristiana. constat* ex Apocal. 14. v. 5. In qua responsione graviter in multis peccas. Et primò quidem, vestram circa articulos Fidei, maximam dissensionem prodis. Sæpiùs audivi proponi, & frequenter ego quoq; proposui multis Lutheranis etiam prædicantibus hanc quæstionem, qui responderunt se non condemnare æternæ damnationis etiam modernæ Fidei Romano-Catholicæ Sectatores. Eandem quæstionem proposuit Henricus IV. Rex Navarræ, & postea Galliarum, suis Prædicantibus Hugonotis & quidem plurimis in unum convenientibus; qui unanimiter dixerunt omnes: posse illum etiam in Fide moderna Romano-Catholica salvari: qui etiam postmodum Romano-

mano-Catholicam amplexus est.

Peccas 2. in eadem responsione, dum addis *moderna* Romanæ Ecclesiæ. Moderna siquidem Ecclesia eadem est, quæ fuit ante Lutherum, quæ fuit antè 6. 7. 8. Sæcula, quæ fuit ante mille annos, quæ fuit primis quinque sæculis, & nobis satis esset, si velletis amplecti ea, quæ antiqua Romana Ecclesia tenuit ac docuit.

Peccas 3. Quia textus ille, quem citas ex Apocalypsi, nihil ad propositum est. Romano-Catholici siquidem, nec Bestiam illam Apocalypticam, & nec Pontificem Romanum adorant (sed solum Deum) neque adorant imaginem Romani Pontificis, nec accipiunt characterem nominis ejus. Nam quòd Papistæ vel Pontificij nunc vocemur, vos ex innata vobis petulantia hoc nomen nobis imposui-

ſtis, (quamvis hanc denominationem non ægrè feramus, fatemur ſiquidem nos ejuſdem Fidei eſſe, cujus erant Papæ, & omnes Pontifices Romani à S. Petro uſque ad modernum Pontificem Clementem XI.) Priùs enim non aliter quàm Catholici vocabamur, & ſicut enſis & gladius eandem rem omninò ſignificant, ita idem erat aliquem dicere eſſe Romanæ Fidei, ac eſſe Catholicæ Fidei.

Peccas 4. Quia falſo fundamento niteris cùm ex illo textu, probare, aut ſaltem ſupponere videris, Romanum Pontificem eſſe Antichriſtum, quam quidem falſitatem nunc non attingo, utpotè quæ jam ab alijs toties refutata, & penitùs devicta ac expugnata eſt. Sed tantùm hoc addo: Quòd Antichriſtus ſit futurus, una duntaxat & ſingularis perſona, ut ex

Scri-

Scripturarum Sacrarum contextu clarissimè patet, non verò tot personæ, quot jam fuerunt Romani Pontifices longè plures quàm 330.

Peccas 5. Contra bonam Politiam, dum Ecclesiam Romanam hodiernam, vocas antichristianam. Ergo ne Augustissimus Imperator antichristianus est? Augustus Rex Germaniæ & Hungariæ Antichristianus? qui tanta gessêre bella, contra naturalem Christianitatis hostem, antichristiani? mereceris certè ob hoc tuum responsum rusticum: tractari ut rusticus, & propter tam crassam irreverentiam, tantarum Majestatum, puniri per carnificem, ob crimen læsæ Majestatis commissum. Et tu miser homo, ventri, carni, & sanguini deditus, Christianus dici vis, & illos qui sanguinem suum pro Chri-

ſtianitate fundunt, vocas antichriſtianos: Proh ſtupiditatem! proh ruſticitatem! proh temeritatem & præſumptionem!

Quærebam 2. Si nulli ſalvati ſunt & ſalvari poſſunt in Fide Romano-Catholica, quomodo igitur Lutherani celebrant feſta Sanctorum ver.gr. S Martini, S. Nicolai, qui fuerunt Epiſcopi Romano-Catholici? Reſpondes, *Quæ conſequentia! ac ſi Lutherani in Feſtorum celebratione ſalutem æternam ſibi conciliare intenderent, ſicuti Papiſtæ faciunt.* Iterum nihil ad rem, & quid pro quo. Non enim quærebam an Lutherani in celebratione Feſtorum ſalutem ſuam ſibi æternam conciliare intendant. Sed cur Feſta Sanctorum ver.gr. S. Martini, S. Nicolai celebrent, cùm tamen hi fuerunt Epiſcopi Romano-Catholici. Certè celebrare Feſta

ſta aliquorum Sanctorum, major eſt cultus eorum, quàm eorundem invocatio, & tamen hanc damnatis, & illam retinetis. Memini quòd ſemel in itinere, ad unum locum Lutheranicum diverterim, in quo celebrabatur Feſtum S. Martini, quâ occaſione interrogavi Prædicantem illius loci, qualenam Feſtum ſit apud illos? Reſpondit is, eſſe Feſtum S. Martini, cujus Feſtum ab antiquiſſimis temporibus in illa Eccleſia, & alijs celebrari ſolebat. Repoſui quærendo ex eo; Utrùm S. Martinum Epiſcopum judicet & credat eſſe ſalvatum. Habuit is ſtatim ſuſpectam propoſitionem, dixitque: *Hoc ſolum Deum ſcire*. Repoſui iterum: Si ipſe certò non ſciat, & non credat S. Martinum Epiſcopum eſſe ſalvatum, ergo dubium habet, ſaltem negativum, an ſit ſalvatus,

ſub tali autem dubio non eſſe licitum operari; quandoquidem ſi is non fuiſſet ſalvatus ſed damnatus, celebratio Feſti illius, eſſet ſpecies idololatriæ, & graviſſimus error. Ad hoc reſpondit ille: Utiq; credimus S. Martinum Epiſcopum ſalvatum eſſe. Subintuli ego: Ergo S. Martinus Epiſcopus fuit in vera Fide. Sed is fuit, vixit, & obijt, in Fide Romano-Catholica utpotè cujus erat Epiſcopus. Ergo Fides Romano-Catholica eſt vera & ſalvifica Fides. Ad hoc ille: *Nos neminem damnamus, neque hoc tenemus, quòd aliquis non poſſit ſalvari in Fide Romano-Catholica.* Concluſi ego: Ergo Fides veſtra eſt falſa, ergo non eſt ſalvifica, quandoquidem una eſt tantùm Fides vera & ſalvifica, ſicut unus tantùm eſt verus Deus. Tu autem in præcitata reſponſione tua tenes oppoſitum:

Ergo

Ergo ostendis per eam inter vos non esse convenientiam circa Fidei vestræ doctrinam.

Addidi ulterius in eadem hujus Dilemmatis parte: sed neque Calvinistæ, omnes qui in Fide Romano-Catholica moriuntur, & mortui sunt, æternæ damnationis condemnant; nam S. Ambrosium, S. Augustinum, S. Benedictum, S. Bernardum, pro Viris Sanctis reputant. Ad hanc meam instantiam respondes: *Quasiverò Fidem hodiernæ Romanæ Ecclesiæ hi omnes amplexi fuissent? collatio dogmatum Papalium, & horum Patrum, contrarium evincit.* Et hoc solùm dicis & non probas, quod tamen probare debuisses. Repono, Si qua in re, per hucusque productam tuam refutationem, te minimè versatum esse in lectione Veterum Sanctorum Patrum scriptis ac vi-

 tis,

tis ostendisti, certè in hac responsione demonstras, te ne quidem de limine horum SS. Patrum scripta & vitas salutâsse. Confer tu tuæ Sectæ propria dogmata, ex. gr. Corpus Christi esse *cum*, *in*, & *sub* pane in Eucharistia: Humanitatem Christi esse ubique: omnia bona opera nostra esse peccata, neque esse utilia ad salutem æternam, & à fortiori non esse necessaria ad eandem: & deprehendes doctrinam vestræ Fidei esse doctrinæ horum & aliorũ veterum Sanctorum Patrum penitùs contrariam. Ego autem diligenter contuli Romano-Catholicæ Fidei dogmata, v. g. de Transsubstantiatione panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi, & reali ejusdem præsentia in Eucharistia, de Invocatione Sanctorum, ac Purgatorio, & suffragijs pro defunctis, de necessitate bonorum operum ad salutem

lutem, de authoritate Romanæ Ecclesiæ, ejuſdémque primatu, de traditionibus Apoſtolicis, &c. & reperi eadem per omnia eſſe conformia doctrinæ horum, & aliorum veterum Sanctorum Patrum. Quorum clariſſima teſtimonia, copioſa hìc poſſem adducere, ſed cùm ea jam alibi adduxerim, nempè in Diſſertatione *Hæreſiologico-Polemica* ad finem; In *Reſponſis non reſponſis*, ad Dilemma octavum. In *Lutheranorum nunquam & nuſquam*, eadem hìc non repeto. Deinde quid dubitas de S. Ambroſio, S. Auguſtino, qui fuerunt Epiſcopi Romano-Catholici? Quid de S. Hieronymo, qui vitam ſolitariam & Eremiticam duxit? Quid de S. Benedicto & Bernardo, qui fuerunt Monachi & Religioſi, an etiam hos dices fuiſſe Lutheranos? quis tibi hoc cre-

 det,

det, quòd horum sequaces ut sunt Benedictini & Cistercienses sint Lutherani? certè negare non poteris illos fuisse Christianos, tunc verò cùm hi Sancti vixerunt, nec in rerum natura erant Lutherani, utpotè: qui & Vota Monastica, & Cœlibatum Ecclesiasticorum condemnant. Illud quoque malè addis *hodiernæ Romanæ Ecclesiæ*, quasi verò hæc esset diversa ab antiqua Romana Ecclesia. Nam hodierna quoq; Romana Ecclesia est eadem præsens cum antiqua Romana, ad hæc usque tempora continuata.

Pergis deinde erroris arguere hos SS. Patres, dicendo: *S. Ambrosium Petro Damiano Legato Pontificio, fuisse hominem Dogmatis diversi à Fide Petri. S. Hieronymum ob dissensum Dogmatum ab Ecclesia Romana, hæresis Aëriana accusari ab Alphonso à Castro. S. Augusti-*

gustinum ob dissensum ab Ecclesia Romana ab ea condemnatum fuisse. S.Bernardum etiam parùm Papæ benignum extitisse, ut testantur scripta ejus ad Papam Eugenium, ac proinde hos hodiernæ Romanæ Catholicæ Fidei addictos esse non potuisse. Sed in singulis aut falleris, aut fallis, aut decipis, aut deciperis, aut falsum dicis, aut mentiris. Hos enim SS. Patres Romanos Catholica Ecclesia; semper tenuit & tenet pro Ecclesiæ suæ non membris tantùm, sed & Doctoribus. Et audi in hoc puncto ipsum S.Ambrosium, qui lib. 3. de Sacramentis cap. 1. affirmat: *In omnibus cupio sequi Romanam Ecclesiam.* Audi & S. Hieronymum, qui in Epistola 57. ad S. Damasum Papam sic scribit: *Ego Beatitudini tuæ, id est Cathedræ S. Petri communione consocior, super illam enim Petram*

ædificatam Ecclesiam scio. Audi & S. Augustinum Tom. 6. contra Epistolam fundamentalem, sic de se affirmantem: *Multa sunt, quæ in Ecclesiæ Catholicæ gremio me justissimè tenent: tenet consensio populorum atque gentium: tenet authoritas, miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa S. de Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Dominus commendavit usque ad præsens tempus in Episcopatu successio.* S. verò Bernardus fuit addictissimus Eugenio Papæ, utpotè: olim suo Discipulo ut testantur illa ipsa Scripta, quæ tu citas, nempè in libro de consideratione, ubi eundem hortatur ad hoc officium Supremi Pastoris Ecclesiæ, rectè & sanctè obeundum.

Ad finem hujus Dilemmatis sic concludo: Ergo hi enumerati

San-

Sanĉti Patres fuerunt in vera Fide Christi (omnes siquid m qui salvantur, placent Deo, sinè vera auté Fide impossibile est placere Deo) Atqui hi omnes erant Fidei Romano-Catholicæ, ergo Fides Romano-Catholica est vera Christi Fides. Ergo omnes ab ea dissentientes secțæ sunt falsæ, & erroneæ. Sicut enim unus est verus Deus, ita & una Fides vera. Ad hanc partem Dilemmatis sic respondes: *Hoc cornu ex perfricta fronte pendulum est, ideò sponte suâ petitione principij cadit.*

Considera quæso, an hæc tua responsio sit ad propositum, vel nihil ad rem. Nam solutor Dilemmatis cujuscunque debet semper unam partem illius admittere, & alteram rejicere, & pro illa quam rejicit, solidam rationem, ob quam eam rejicit, adducere.

Tu

Tu verò neutrum hîc præstas, sed duntaxat explodendo effugere vis propositam difficultatem. Et obsecro quænam est petitio principij in hoc Dilemmate? Tunc enim est petitio principij apud Dialecticos, quando aliquid probatur per id, quod æquè est in quæstione, ac illud quod probatur. Quod hîc certè non invenitur. Nam quòd omnes qui salvantur placent Deo, per se clarum est. Juxta illud Sapientiæ 4. v. 10. *Placens Deo factus est dilectus.* Quod sinè vera Fide impossibile sit placere Deo. habetur ex Scriptura Sacra ad Hebræos 11. v. 6. Quòd omnes hi fuerint Fidei Romano-Catholicæ, probatur ex ipsorummet Scriptis & eorundemmet Vitis ac rebus gestis. Ergo nulla est hîc petitio Principij. Consequentiæ etiam hæ (ex jam præmissis)

missis) sunt legitimæ, nempè: Ergo Fides Romano-Catholica est vera Christi Fides. Ergo omnes ab ea dissentientes Sectæ sunt falsæ & erroneæ. Sicut enim est unus verus Deus, ita & una Fides vera. Necessè est igitur ut fatearis etiam hanc Responsionem tuam, esse nihil ad propositum, nihil ad rem.

§ V.

Quæstiones ex Quinto Dilemmate.

QUærebam 1. Vel aliquos Sanctos habuit Ecclesia Lutherana, aut Calviniana, vel nullos? Respondes: Habuisse *& habere adhuc.*

Quærebam proinde 2. Quinam sint vel fuerint illi Sancti in Ecclesia Lutherana? Respondes. *Omnes infantes baptizatos, in prima infan-*

tia

tia morientes. Repono : Infantilis omninò est hæc tua responsio. Tales siquidem infantes nullam actualem Fidem habent. *Fides siquidem fit ex auditu, auditus autem per Verbum Christi.* ad Rom. 10. v. 17. Id est, per prædicationem de Christo, quæ commissa est Apostolis & Apostolicis Viris, infantes autem non audiunt talem prædicationem, & si audirent non intelligerent, ergo Fidem actualem non habent, sive nullum actum Fidei eliciunt, cùm necdum sint capaces rationis; quæ ad imperandum actum Fidei requiritur. Habent ergo solùm Fidem habitualem seu habitum Fidei, qui illis per Baptismum cum gratia habituali infunditur à Deo.

Sed ulterius iterum quæro ex te 3. Quo argumento probas tales infantes, potiùs fuisse vel esse Luthera-

theranos, quàm Calviniſtas vel Romano-Catholicos. Nullum ſanè tale argumentum adferre potes. Ergo hæc pro tuo ſolùm arbitrio aſſeris. Ergo hæc tua reſponſio nihil eſt ad rem, & nihil eſt ad meæ quæſtionis propoſitum. Et ſanè miror, quòd, cùm S. Paulus ibidem verſu ſequenti dicat, de his prædicatoribus Fidei: *Et quidem in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Talis prædicatio Lutheranæ doctrinæ non proceſſerit ultra infantes.

Quæro 4. ex te. Tantumnè tales Infantes ſunt Sancti in Eccleſia Lutherana? Reſpondes: *Etiam eſſe alios, & tales fuiſſe, S. Petrum, Paulum, Jacobum.* Repono. Hæc quoque reſponſio tua eſt merè arbitraria. Et cur non adnumeràſti Catalogo Sanctorum Lutheranorum

rum etiam Abraham, Isaac, & Jacob, ac ipsum Adamum? præterea enumeratos Sanctos Apostolos, eodem planè jure faciunt suos Calvinistæ, Anabaptistæ, Ariani, & à fortiori Romano-Catholici. Constat siquidem Sanctum Petrum Romanis Evangelium prædicâsse, & S. Paulum ad Romanos Epistolam scripsisse, non ad Augustanos, aut Wittembergenses, atq; S. Jacobum necessitatem bonorum operum, & solius Fidei insufficientiam ad salutem æternam docuisse, cui contrarium Lutherani tenent, falsè igitur hos Sanctos pro Lutheranæ tuæ Ecclesiæ Sanctis adduxisti.

Verùm quæro ex te 5. An habeatis aliquos alios Sanctos, & tales, de quibus dubium esse non potest quòd fuerint Lutheranæ, & non alterius Religionis, Respondes.

des. (risum teneatis amici) *Tales fuisse ipsum B. Lutherum, & alios ejus vestigia sincerè legentes.* Repono. Rectiùs fecisses, si potiùs citâsses Barabbam (insignem latronem) & Judam Iscariotem Christi proditorem, quibus Lutherus nec pilo erat melior. Erat siquidem & à Fide, & à Votis Apostata, homo sanguini, & carni deditus, in verbis, & scriptis scurrilis, in operibus scelestus, impius, & scandalosus. Addis: *aliósque vestigia ejus sincerè legentes.* Cur non dixisti, aliósq; ejus virtutes sincerè sequentes ac imitantes, Haud dubio ideò, quia nullas habuit. Non humilitatem, non temperantiam, non continentiam aut castitatem, non pietatem, in nulla igitur virtute ejus vestigia legere, aut eum imitari alij poterant, nisi in vitijs & sceleribus. Et hi sunt sancti in Luthera-

therana Ecclesia. ? Memini tamen me legisse in Cochlæo, & Florimundo Ræmundo, singulare devotionis Lutheri argumentum hujusmodi; Cùm Lutherus esset potui valdè deditus, inter alia pocula, habuit tria vitra sat capacia, quorum minimum nominavit *Ave Maria*, alterum majus *Pater noster*, tertium maximum *Credo*, & qui hoc tertium epotare non valebat, conjiciebat, eum in Lutherana Fide non non fore constantem. Ridiculus planè fuit hic orandi modus, sed qui non Sanctos sed helluones decet.

Quærebam 6. Ut si habent vel habuerunt aliquos Sanctos in sua Ecclesia Lutherani? producant eorum vitas Sanctas & miracula. Respondes: *Lege illas apud illos, qui eorum vitas veraci calamo delineaverunt.* Sedcur non citas Authores qui

qui eas conſcripſerint aut delineaverint, cur non nominas illos Sanctos Lutheranos quorum vitæ ab ijs Authoribus conſcriptæ ſunt? Ecce utrobique hæres. De miraculis autem eorum taces, quia nulla penitùs patrârunt. Tentavit quidem Lutherus id præſtare quâdam vice, volens ex obſeſſa puellula malum ſpiritum pellere, ſed tam malo eventu, ut dum vellet ex obſeſſa ſimplicem dæmonem ejicere, ipſemet à cacodæmone materiali correptus fuerit: ut teſtatur oculatus teſtis Staphylus & alij. & Eraſmus Roterodamus coætaneus Lutheri, ſcribit: Lutherum & alios novi Evangelij præcones, adeò nulla miracula in confirmationem ſuæ Doctrinæ patraſſe, ut nec unum claudum equum potuerint ſanare. Et tamen Chriſtus mittens duodecim ad prædicandum ſuam Do-

Doctrinam ait ad illos Matth. 10. v. 8. *Euntes prædicate, infirmos curate, mortuos resuscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite, &c.*

Quærebam 7. Si habent aliquos Sanctos, cur saltèm ad Ephemerides seu Calendaria non ponunt eorum nomina? Respondes: *Evolve Calendaria, & rubicundis literis expressa invenies.* Repono: Revolvi omninò multa Calendaria, & complura etiam ipse confeci, sed nec rubicundis nec nigris literis, Lutherani alicujus nomen in ijs reperi, nec ipsemet adnotare potui. Addis deinde: *Quòd multorum Sanctorum nomina in Calendarijs compareant, qui nunquam Sancti, imò nec unquam in rerum natura fuerant, talis est* (inquis) *S. Georgius.* Repono: Fortassis id contingit in Calendarijs Acatholicis, in Calendarijs certè Catholicis nullius

nullius nomen apponitur, qui non fuisset Sanctus. De Sancto autem Georgio constat, eum generosum militem fuisse, & ob militarem virtutem inter Tribunos adlectum, tum Comitis etiam titulo, à Diocletiano creatum, ac tandem gloriosè Martyrium pro Fide Christi subivisse, ut scribit in ejus vita antiquissimus Scriptor Metaphrastes & alij. Illud porrò quod adjungis quasi ipse Baronius dubitâsset de S. Georgij existentia, falsum est. Hoc enim Baronius nullibi habet, sed solùm rejicit aliqua apocrypha scripta, quæ de ipsius vita circumferuntur. Ex quibus tamen non sequitur nunquam eum in rerum natura extitisse. Nam etiam multis Heroibus plurima gloriosa facinora falsò adscribuntur, ex hoc tamen non sequitur, nunquam illos in rerum natura exti-

tisse. pergis dein ultra, sed valde cespitando, dicens: *Imò qui Sancti verè fuerunt, in Calendarijs non fuerunt adnotati, ut S. Joseph, qui per aliquot annorum Centurias non fuit insertus Calendario, donec tandem Gregorius XV. eũ Calendarijs inscribi mandaret. Ergonè S. Josephus ante impositionẽ Calendarij Sanctus non fuit?* Repono: Iterum prodis tuam in rebus Ecclesiasticis ignorantiam, quia nescis, quænam sit differentia inter Martyrologium, ac Ecclesiasticum, & politicum Calendarium: Sanctus igitur Josephus semper in Martyrologio, & in Calendario quoque politico apponebatur. Solùm ergo hoc Gregorius XV. effecit & statuit, ut etiam in Officio Ecclesiastico apponatur, & Officium Ecclesiasticum de eo ab ijs qui obligantur ad horas, recitetur. Sed neque ego excludo à

san-

ſanctitate illos Sanctos, quorum nomina non apponuntur in Calendario, quandoquidem unius tantùm Sancti nomen pro ſingulis diebus in Calendario apponi ſolet, ex quàm plurimis; qui enumerantur per ſingulos dies in Martyrologio, quamvis nec in Martyrologio omnes omninò enumerentur, & ideò ſemper in fine Martyrologij additur hæc clauſula: *Et alibi plurimorum Sanctorum Martyrum, Confeſſorum, aliorúmque Sanctorum & Sanctarum Virginum.*

§ VI.

Quæſtiones ex Sexto Dilemmate.

PRopoſueram hoc Dilemma tali modo: Tempore Geyſæ Ducis Hungariæ, & Filij ejuſdem S. Stephani primi Regis Hungariæ, quando ij undique convocabant,

& conquirebant Viros pios & Doctos diversarum Nationum & Regionum, quorum operâ uterentur in Conversione Hungariæ, vel erant alicubi in rerum natura Doctores Lutheranæ Religionis vel non erant? Respondes : *Fuisse utique in rerum natura, si non quoad nomen, bene tamen quoad rem.* Repono: Si tunc etiam erant quoad rem, debuissent esse etiam quoad aliquod nomen, esto non Lutheranicum. Quæro jam quo nomine illi se appellabant, & quo nomine ab alijs vocabantur? Non Evangelici, non Augustanæ Confessionis, non Protestantes, non Reformatæ Religionis, hæc enim omnia nomina æquè sunt nova, ac nomen Lutheranorum; quæso edissere, si scis nomen Matris tuæ, Ecclesiæ scilicet illius, quæ fuit ante Lutherum? vel fatearis certè

quod

quòd nescias quomodo vocabatur Mater tua Ecclesia Lutheranica ante Lutherum ? Revolve antiquissimos annales, interroga priorum Sæculorum Scriptores, quod nomen habuit hæc tua Mater Ecclesia Lutherana, ante Lutherum? Nemo sciet tibi dicere ; sed omnes asserent, sibi ignotam fuisse, nihil unquam à se auditum de illa esse, ac proinde credibilius sibi videri, illam nunquam in rerum natura extitisse.

Quærebam 2. Si erant tunc in rerum natura quoad rem, esto non quoad nomen, cur tam ignavi, inertes, & vecordes fuerint, nullúmque Zelum animarum se habere ostenderint, quòd non illico accurrerint ad prædicandum verum Evangelium Hungariæ ? Respondes : *Non fuisse ignavos, sed alacres, Evangelium Christi propagásse.*

 gásse.

gâsse. Repono ac quæro: Undenam hi Prædicatores, & ex qua Patria, in Hungariam tunc temporis venerint? quo idiomate Evangelium Christi prædicabant? in qua Hungariæ parte illud propagârunt, & quibus illud annunciabant? Respondes ad hoc ultimum: *Infantibus, qui ab illis baptizati sunt.* Repono & quæro? Cur non etiam adultis, qui magìs prædicatione Verbi Divini indigebant? & ad quorum Conversionem S. Stephanus Viros pios, & doctos undique conquirebat? Respondes: *Etiam ijs, qui in meritis Christi sperantes demortui, sunt salvati.* Repono & quæro: Quinam ij fuerint? Nam etiam Romano-Catholici spem suam ponunt in meritis Christi, & in hac spe mori desiderant. Sed non ita temerariè ac præsumptuosè uti Lutherani. Verùm

ita

ita juxta doctrinam Christi, ut simul Christum imitari conentur, cum gratia Dei, quæ ipsa quoque datur nobis ex meritis ipsius Christi. Cùm ipsemet dicat: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Joan. 13. v. 15. Et apud Matthæum 11. v. 29. *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Quod ipsum testatur & S. Petrus 1. Epistol. 2. v. 21. sic inquiens: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Respondes: *Te non tales sperantes intelligere, sed eos, qui totam spem salutis suæ ponunt & collocant in meritis Christi, etiamsi ipsi nulla peccata caveant, omnia præcepta Dei conculcent, nihilque boni agant.* Repono 1mò. Talem Doctrinam nusquam fuisse ante Lutherum. 2dò. Etiam Calvinistæ hanc doctrinam

se dicunt tenere. Ergo non est major ratio, cur qui tales fuerint, debeant dici Lutherani, & non Calvinistæ, & tamen tu negas eos fuisse Calvinistas. Ad alteram partem Dilemmatis, nempè: Si tunc adhuc non erant, hoc est temporibus S. Stephani primi Christiani Regis Hungariæ. Ergo multò minùs à temporibus Apostolorum. Ergo Lutherana doctrina non traxit suam seriem successionis & originem ab Apostolis, & ab ipso Christo Domino. Ad primam consequentiam nihil respondes. Ergo illam admittis, vel transire permittis. Unde infero: Ergo Lutherana doctrina, non est Apostolica neque Evangelica. Ad alteram ais: *Sinè veritate doctrina, successio Pastorum exigui est ponderis.* Repono: Ergo cum veritate doctrinæ successio Pastorum est maximi ponderis,

deris. Vos autem nec doctrinæ vestræ, nec Pastorum successionem ab Apostolis ostendere potestis. Ergo verum est quod inferebam, doctrinam Lutheranam non traxisse suam seriem successionis & originem Pastorum & doctrinæ ab Apostolis & ab ipso Christo Domino.

§ VII.

Quæstiones ex Dilemmate Septimo.

IN hoc Dilemmate quærebam 1. Ecclesia Lutherana? vel erat visibilis ante Lutherum, vel invisibilis? Si visibilis quis illam vidit? quibus hominibus constabat, & Nationibus? ubi locorum erat, aut eam audire, aut ad illam recurrere quis potuisset? Respondes. *Fuisse illam omnino invisibilem.*

Quærebam proinde 2. Si fuit

invisibilis, utrùm illa invisibilis Ecclesia fuerit Lutherana, vel Calviniana, vel Anabaptistica, vel Ariana? Idem enim dicent & eodem Jure omnes de sua Ecclesia. Respondes: *Veritatem Ecclesiæ non esse æstimandam ex visibilitate vel invisibilitate, sed ex conformitate cum Verbo Dei.* Repono: Hanc tuam responsionem nihil omnino esse ad propositum. Postulatum enim meum fuit, ut Lutherani adducant tale argumentum (quòd invisibilis illa Ecclesia fuerit Lutherana) quo eodem argumento non possint probare Calvinistæ, Anabaptistæ, & Ariani suam fuisse? argumentum autem quod tu hîc adducis non est tale. Et quænam est hæc consequentia: Veritas Ecclesiæ ex conformitate cum Verbo Dei est æstimanda. Ergo invisibilis illa Eccle-
sia

sia, fuit Lutherana. Qualis quæso hujus Consequentis, cum Antecedente est connexio? Si autem sic argumentum ponis: Illa Ecclesia invisibilis fuit conformis Verbo Dei, sed Lutherana Ecclesia est conformis Verbo Dei. Ergo illa invisibilis Ecclesia fuit Lutherana. Catholici negabunt & majorem & minorem (quia ajunt de ratione Ecclesiæ veræ esse ut sit visibilis) Calvinistæ autem, Anabaptistæ vel Ariani concessâ majori, subsument eodem jure ac Lutherani hanc minorem: Sed nostra Ecclesia est conformis cum Verbo Dei. Ergo illa Ecclesia fuit nostra, & non Lutherana. Ergo postulato meo non satisfecisti. Ergo sicut Calvinistis, vel Arianis subsumentibus illam minorem. Lutherani non credunt, ita & nos Catholici, & Calvinistæ, & Ariani Lutheranis

eandem minorem assumentibus, meritò non credimus.

§ VIII.

Quæstiones ex Octavo Dilemmate.

OCtavum hoc Dilemma sic proposueram 1. Ecclesia Lutherana, aut Calviniana vel tenet omnia illa, & amplectitur Fide Divinâ, quæ tenuit primitiva Ecclesia à Christo instituta, primis saltem quatuor Sæculis, vel non? Si non. Ergo in articulis Fidei dissentit à vera Christi Ecclesia. Respondes ad hanc partem Dilemmatis: *Tenet utique eam Fidem, quam tenuit illa antiqua Ecclesia in Sacris Litteris expressam.* Adverto, quòd per hanc tuam responsionem effugium quæras, per illa verba, *in Sacris Litteris expressam.*

Et

Et ſic non in capite, ſed in pedibus ſalutem tuam ponis. Verùm retraho te ex fuga, & propono tibi hoc Dilemma: Illa primitiva Eccleſia à Chriſto inſtituta, & ab Apoſtolis continuata, & quæ fuit primis quatuor aut quinque Sæculis, vel tenuit & credidit aliquid quod non eſt in Scripturis, & Sacris Literis expreſſum, vel id quod eſt ſolùm Sacris Literis expreſſum? Si primum. Ergo præter Verbum Dei Sacris Literis expreſſum admittendum eſt etiam Verbum Dei traditum. Si ſecundum. Ergo quidquid tenuit antiqua Eccleſia, eſt Sacris Literis expreſſum. Et reaſſumo priùs Dilemma. Vel Eccleſia Lutherana tenet omnia illa & amplectitur Fide Divinâ, quæ tenuit primitiva illa Eccleſia ſaltem primis quatuor vel quinque Sæculis? vel non? Si

non. Ergo in articulis Fidei dissentit à vera Christi Ecclesia, & consequenter ab illis, quæ sunt Sacris Literis expressa. Si ita, hoc est: Si Lutherana Ecclesia omnia illa tenet & amplectitur Fide Divinâ. Ergo debet admittere ea omnia quæ docuerunt, & crediderunt illi Sancti Patres, & Doctores, qui vixerunt primis illis Sæculis, & quæ statuerunt & declarârunt Concilia tempore illo ab Ecclesia celebrata. Ad hæc ultima verba respondes intra parenthesim: *Lutheranos admittere omnia omnino Sacræ Scripturæ conformia.* Ecce iterum fugam meditaris, à qua rursus te retraho. Et pono hoc Dilemma: Vel omnia quæ in his primis Concilijs Ecclesiæ sunt definita & declarata, sunt Scripturæ Sacræ conformia, vel aliqua saltem difformia, Si difformia. Ergo

Ecclesia primitiva, non fuit vera Christi Ecclesia, sed erronea, quod est contra nostrum & vestrum suppositum. Si omnia erant Scripturæ Sacræ conformia. Ergo debebis admittere omnia illa, quæ tenuit, docuit, & credidit, hæc primitiva Ecclesia primis saltem quatuor, aut quinque Sæculis. Jam subsumo. Hujusmodi autem sunt: Realitas Corporis Christi in Eucharistia, Transsubstantiatio panis & vini in Sacrificio in verum Corpus & Sanguinem Christi: Invocatio Sanctorum: Liberum arbitrium: Bonorum operum ad salutem æternam necessitas: Purgatorium, & suffragia pro defunctis, & omnia illa de quibus controvertunt nunc Lutherani cum Romano-Catholicis. Ad hæc valde siccè respondes, dicendo: *Sed qui, tam ignarus antiquitatis est, ut igno-*

ignoret, hæc in sequentibus demùm Sæculis, à Pontificibus Romanis introducta, & ab alijs inventa confirmata fuisse? probetur itaque ista dogmata primis quatuor Sæculis jam fuisse manifesta. Repono. Profectò hâc responsione tu temetipsum fateris penitùs ignarum antiquitatis & in Scriptis SS. Patrum minimè versatum. Novi ego virum eruditissimum ex Lutherano conversum (is fuit Labecius Bibliothecarius Cæsaris Viennæ) quem cùm familiariter interrogâssem: Quomodo is ad agnitionem veritatis Fidei Catholicæ pervenerit? respondit: *Per solam lectionem Veterum SS. Patrum*, & addidit: Si enim horum scripta quis legat diligenter, possibile non est, ut non amplectatur Fidem Romano-Catholicam Idem fatebatur Christina Regina Sveciæ, de sua Conversione, ad Fidem Romano-

mano-Catholicam. Quin & apud vos ij, qui assiduè legunt Scripta Veterum SS. Patrum, pro suspectis habentur, quòd titubent in sua Religione, & inclinent ad veritatem Dogmatum Fidei Romano-Catholicæ. Verùm his omissis. Quia petis tibi ostendi & probari *ista Dogmata quatuor Sæculis fuisse jam manifesta.* Lubens id præstabo, sed ita, ut cùm id præstitero, fatearis Lutheranam Fidem contrarium sentientem ac tenentem, in articulis Fidei, dissentire à Vera Christi Ecclesia, qualis fuit Ecclesia primitiva, adeóque Lutheranam Fidem ac Religionem manifestè esse falsam. Ne autem iterum repetam ac reiterem ea, quæ de hoc argumento adduxi in Responsis non responsis Timothei Philalethi ad hæc ipsa XV. Dilemmata. Item in Lutheranico *Nunquam & nusquam*

§ 4.

§ 4. à Numero 43. uſque ad 61. paucula hîc adducam teſtimonia, & reliqua ſolùm citando indicabo. Probo igitur primò. Realitatem Corporis Chriſti in Euchariſtia, & Tranſubſtantiationem panis & vini in Sacrificio, in verum Corpus & Sanguinem Chriſti, primis quatuor ſæculis jam fuiſſe manifeſtam ex Lyturgijs SS. Apoſtolorum, quales ſunt: Lyturgia S. Petri, S. Jacobi Majoris, S. Jacobi Minoris, S. Matthæi, & S. Marci Evangeliſtæ, in quibus Panis, & Calix Euchariſticus expreſsè vocatur Corpus, & Sanguis Chriſti. Quia tamen has Lyturgias fortaſſis tu nunquam vidiſti & multò minùs legiſti, & tamen antiquitatis te valde gnarum oſtentare præſumpſiſti. Probo ſecundò ex SS. Patribus, qui primis Sæculis vixerunt. Ex quibus Juſtinus Martyr: Euchariſtiam ait ex-

expreſsè, eſſe *Carnem Chriſti.* Et Irenæus, eſſe *Corpus Chriſti.* Cujus hæc ſunt formalia verba lib. 5. c. 2. *Quando ergo & mixtus Calix, & factus panis percipit Verba Dei*(hoc eſt prolatis verbis Conſecrationis) *fit Eucharistia Corporis & Sanguinis Chriſti.* qui duo SS. Patres vixerunt primis duobus Sæculis. Ex tertio Sæculo ſit teſtis Tertullianus, & Cyprianus, quorum ille lib. 4. contra Marcionem ait: *Chriſtum, acceptum panem, Corpus ſuum feciſſe dicendo: hoc eſt Corpus meum.* Alter verò ſermone de Cœna Domini ſic loquitur: *Panis iſte quem Dominus Diſcipulis porrigebat, non effigie ſed naturâ mutatus Omnipotentiâ Verbi factus eſt Caro.* Ex quarto Sæculo, teſtis ſit S. Cyrillus, & S. Ambroſius, quorum ille in Catecheſi 4. Myſtagogica ait: *Vinum in Sacrificio in San-*

Sanguinem mutari, ſicut in Cana Galilææ, aqua mutata fuit in vinum? non utique accidentaliter, ſed ſubſtantialiter. Alter verò lib. 5. de Sacramentis cap. 4. miratur qui dicunt, ſe non poſſe capere quomodo panis & vinum tranſmutatur in Corpus, & Sanguinem Chriſti; atque ſic contra eos arguit: *de totius mundi operibus legiſti: Ipſe dixit, & facta ſunt, ſermo ergo Chriſti, qui poterat facere id, quod non erat; non poterit ea, quæ ſunt in id mutare quæ non erant?* Eandem veritatem manifeſtam fuiſſe declarat primis ſtatim Sæculis Concilium Nicænum. Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromatum. Origenes Homilia 7. in Numer. S. Anaſtaſius in Apologia. Gregorius Nazianzenus oratione 2. in Paſcha. S. Baſilius in ſua Lyturgia. S. Gregorius Nyſſenus in libro de

vita

vita Moysis. S. Optatus Milevitanus lib. 6. contra Parmenonem. S. Hieronymus tum alibi tum in Epistola ad Heliodorum. Dogma igitur Romano-Catholicum de Realitate Corporis Christi, & transubstantiatione panis & vini in Sacrificio in Corpus, & Sanguinem Christi manifestum fuit, primis quatuor sæculis. Idem demonstro de Invocatione Sanctorum: Nam Origenes non tantùm approbat invocationem Sanctorum, sed & ipse eosdem invocabat, ut patet ex ejusdem lamentatione, & ex lib. 2. in Job. Extat quoq; S. Ephrem Oratio ad Beatissimam Virginem, & S. Athanasij ad eandem, & S. Augustini Sermone 8. de Sanctis, pariter ad illam. Item Sanctus Ambrosius in libro de Viduis ait: obsecrandos esse Angelos, qui nobis ad præsidium dati sunt, obse-

obsecrandos Martyres, qui pro nobis patrocinantur apud Deum. Et S. Hieronymus contra Vigilantium cap. sic arguit: *Si Apostoli, & Martyres adhuc in corpore constituti, possunt orare pro caeteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti, quantò magis post coronas, victorias & triumphos.* Omitto hac de re plura testimonia SS. Patrum, primis adhuc quatuor Saeculis. Dogma igitur Romano-Catholicum de Invocatione Sanctorum manifestum fuit in Ecclesia primis adhuc quatuor Saeculis.

Idem demonstro de *Libero arbitrio.* Et primò, ex Clemente Romano, Epist. 3. in qua ait: *Evidenter constare, inesse hominibus arbitrij libertatem.* Secundò. Ex S. Ignatio Martyre in Epistola ad Magnetianos, in qua testatur: *hominem tam pietati studere, quàm peccare*

care non per naturam, sed per suum arbitrium. Tertiò. Ex Justino Martyre in Apologia ad Anton. Imperatorem in qua asserit: *Unico libero arbitrio, genus humanum & res turpes fugere, & bonas sequi*. Quartò. Ex S. Irenæo lib. 4. cap. 7. ubi testatur: Deum posuisse in homine electionis potestatem. Quintò. Ex Tertulliano lib. 2. cap. 6. contra Marcionem ubi docet & demonstrat libertatem arbitrij in utramq; partem concessám esse homini à Deo. Sextò. Ex Origene, Homil. 20. in Numeros, in qua docet: sui arbitrij esse animam, & in quam voluerit partem liberum esse ei declinare. Septimò. Ex S. Cypriano Epistola ad Cornelium, in qua ait hominem libertati suæ relictum, & in proprio arbitrio constitutum, ut sibimetipse vel mortem appetat, vel salutem. Octavò Ex S. Hierony-

ronymo lib. 2. contra Jovinianum, ubi sic scribit: Liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur. Manet ergo demonstratum Dogma Ecclesiæ Romano-Catholicæ de libero arbitrio, primis adhuc quatuor Sæculis manifestum fuisse.

Idem demonstro de *Necessitate Bonorum Operum ad Salutem.* Et primò quidem ex S. Justino Martyre in Apologia 2. ad Anton: ubi scribit: *Censemus unumquemque vel æternum supplicium, vel salutem consecuturum, operum condignitate.* Secundò, Ex S. Cyrillo Hierosolymitano (qui interfuit Concilio Constantinopolitano Anno 381.) in Catechesi, ubi ait: *Nihil nobis prodesse, Christianorum possedisse appellationem, si opera illam non sequantur.* Tertiò. Ex S. Ambrosio in lib. Epistolarum, Epist. 81. ubi admi-

admirabundus quærit: *Qui sunt hi præceptores novi, qui meritum excludunt Jejunij? consequenter & aliorum bonorum operum.* Quartò. Ex S. Basilio Magno, qui sermone de Ascensione, hæc habet: *Custodientibus mandata ejus, retributio multa, merces nimis copiosa est, & Corona Justitiæ, æterna Tabernacula vitæ, nunquam finem habitura.* Quintò. Ex S. Clemente Alexandrino, qui in Paræneſi ad Gentes, sic hortatur fideles: *Ne vos ergo laboràsse pigeat, licet vobis si velitis, pretiosissimam salutem curare, proprio thesauro, charitate & fide vitæ, quod quidem est justum pretium, hoc pretium Deus libenter accipit.* Sextò Ex S. Cypriano libro de unitate Ecclesiæ, ubi hæc habet: *Justitiâ opus est, ut promereri possit quis Deum Judicem, Præceptis ejus & monitis obtemperandum est, ut*

 acci-

accipiant merita nostra mercedem. Septimò. Ex S. Gregorio Nysseno, qui in sua prima oratione de amore pauperum sic scribit: *Pro suis quemque meritis ornatum cerno; illis qui boni benignique fuerint, atque optimam vitam egerint, summa & perpetua quies tribuitur in regno cœlesti, inhumanis autem & improbis supplicium ignis; idque sempiternum.* Manet ergo demonstratum dogma Romanæ Catholicæ Fidei, de necessitate bonorum operum, ad salutem manifestum fuisse in Ecclesia, primis adhuc quatuor sæculis.

Idem demonstro de Purgatorio, ac Suffragijs pro defunctis. Et primò quidem ex Tertulliano, qui lib. de corona militis, & libro de Monogamia testatur suis ac prioribus quoque temporibus fuisse consvetum, pro defunctis oblatio-

nes

nes(seu Sacrificia) offerri & preces ac orationes ad Deum fundi. vixit autem Tertullianus secundo adhuc sæculo. Item ex Apostolorum Lyturgijs, in quibus specialis memoria,& orationes sunt pro requie defunctorum. Tert ò. Ex S. Cypriano qui Epist. 52. ad Antonianũ, non tantùm purgatorium admittit, sed etiam diversitatem pœnarum in illo, accuratissimè describit. Quartò. Ex S, Basilio Magno, qui in Isaiæ 6. v. 6. verba Prophetæ illius, de igne purgatorio eruditè explicat. Et idem facit in ejusdem Prophetæ 9. v. 19. *Et erit populus ab igne deustus* (vulgata legit: *Et erit populus quasi esca ignis.*) ac insuper in sua Lyturgia specialem orationem pro defunctis apponit. Quintò. Ex S. Gregorio Nazianzeno, qui in Oratione decima, in laudem Cæsarei Fratris defuncti, Deum

 pro

pro anima illius orat. Sextò. Ex S. Gregorio Nysseno, qui in Oratione quam de dormientibus habuit, crebram ignis purgatorij mentionem facit. Septimò. Ex S. Epiphanio in hæresim 75. inter hæreses ponit etiam hunc Aërij errorem, quòd viventium preces pro vita functis inutiles esse sibi persvaderet. Octavò. Ex S. Ambrosio qui in Oratione de obitu Theodosij Imperatoris, & Sacrificia Eucharistica offerebat, & pro ejus anima deprecabatur, Nonò. Ex S. Hieronymo, qui in Commentarijs Proverbiorum, ac in Isaiam, & Michæam, clarissimè Purgatorium dari adstruit, illiúsque pænas describit.

Manet igitur demonstratum Dogma de Purgatorio & suffragijs pro defunctis, Ecclesiæ Romano-Catholicæ, fuisse manifestum primis

mis adhuc quatuor sæculis. Vide plura testimonia veterum SS. Patrum de his veritatibus in libellis meis suprà citatis. Atque eadem est ratio de omnibus quoq; Fidei Romano-Catholicæ articulis, de quibus nunc controvertunt Lutherani, & Calvinistæ, ac cæteri novatores cum Romana Ecclesia. Jam ergo iterum resumo argumentum: Ecclesia Lutherana non tenet, nec credit, illa omnia, & sigillatim, de reali præsentia Christi in Eucharistia, & Transsubstantiatione panis ac vini in Sacrificio Missæ, in Corpus ac Sanguinem Christi, item de Invocatione Sanctorum, Libero arbitrio, Bonorum operum ad salutem æternam necessitate, Purgatorio & suffragijs pro defunctis, quæ tenuit Ecclesia primitiva à Christo instituta primis statim quatuor sæculis.

Ergo in articulis Fidei diſſentit ab illa. Subſumo. Sed primitiva illa Eccleſia fuit vera Chriſti Eccleſia. Ergo Lutherana Eccleſia diſſentit à vera Chriſti Eccleſia. Ergo cùm illa fuerit vera, Lutherana Eccleſia eſt falſa.

§ IX.

Quæſtiones ex Dilemmate Nono.

DOctrina Lutherana, prout nunc eſt in Hungaria, vel eſt conformis Auguſtanæ Confeſſioni vel non? Si non. Ergo Lutherani moderni non debent prætendere in Hungaria liberum Exercitium ſuæ Religionis, hoc enim conceſſum eſt (licèt ex conniventia, imò violentia tantùm, neque cum conſenſu omnium Statuum Regni) ſoli Auguſtanæ Confeſſioni. Reſpondes: *Hic nec ſutor ultra crepidam, nec Monachus ſupra*

cucullum, aut Jesuita suam quadrifidam mitellam. Hæc est tua misella responsio, nihil ad rem & prorsus ridicula, non Academica, nihil ad propositum. Cur non respondes directè, ita; vel non; uti ad Dilemmata responderi debet, Ego autem sic in forma pono meam ratiocinationem: Religio illa, cui non est permissum liberum Exercitium in Hungaria, non debet illud prætendere. Sed Religioni illi, quæ non est conformis Augustanæ Confessioni, non est permissum liberum Exercitium in Hungaria, Ergo talis Religio non debet illud prætendere in Hungaria. Ergo debes dicere, quòd sit moderna vestra Lutheranica Religio conformis Augustanæ Confessioni.

Quærebam 2. Si ita? Cui Augustanæ Confessioni? hæc siquidem quater est conscripta, edita & mu-

rata, ac omnes quatuor editiones sunt dissentientes inter se. Respondes: Religionem modernam Lutheranorum in Hungaria: *Esse conformem illi Augustanæ Confessioni, quam ego scripsi, me vidisse & legisse, & quæ in originali extat in Bibliotheca Cæsarea, Viennæ.* Sed contra est: Quia hanc originalem Confessionem Augustanam, à Philippo Melanchtone porrectam Carolo V. in Augustanis Imperij Comitijs anno 1530. aut etiam ex illa genuinè transumptam & authenticè vidimatam, nemo fortassis Lutheranorum modernorum, & præsertim eorum, qui sunt in Hungaria, vidit & legit. Contra est Secundò. Quia vos Lutherani in Hungaria, ab anno 1580. eam tenetis Augustanam Confessionem, quæ est in libro *Concordiæ*. Et priùs usque ad annum 1580. tenuistis illam,

illam, quæ eſt in *corpore doctrinæ*, hæ autem ſingulæ, ſunt diverſæ inter ſe, & utraque, ab illa originali, & cujus liberum Exercitium emendicâſtis, vel potiùs extorſiſtis à Matthia II. Rege Hungariæ anno 1606. Ergo hæc tua reſponſio nihil eſt ad rem.

Unde inferebam in ſecunda parte Dilemmatis. Quòd ſi moderna Religio Lutheranorum in Hungaria eſt conformis illi Confeſſioni Auguſtanæ originali, debent Lutherani omnia illa admittere, quæ admittit illa Auguſtana Confeſſio. Quod quidem tu admittis, nihil ſiquidem ad hanc meam illationem reſpondes. Dein ſubſumpſi: Atqui in Confeſſione illa proteſtantur Confeſſioniſtæ, *Sibi injuriam fieri à dicentibus, in eo, quòd in Eccleſijs ſuis Miſſam aboleverint, quæ adhuc in eis quotidie magnâ venera-*

ratione omnibus antiquis adhibiti ceremonijs celebratur. Ad hanc respondes : id verum esse. *Si in bona significatione, & in sensu Ecclesiastico non verò Papistico accipiatur Missa, hanc enim antiquita ignorat.* Verùm bona significatio & in sensu Ecclesiastico est illa quando voces denotant id, ad quod significandum sunt ab hominibu impositæ & institutæ. Atqui hæ vox *Missa* in sensu Ecclesiastic fuit imposita ad significandum Sacrosanctum Missæ Sacrificium. Ergo hoc Missæ Sacrificium dicit Augustana Confessio se non abolevisse. Deinde valde novellum te esse ostendis, dum addis: *hanc enim* (Missam scilicet Papisticam) *antiquitas ignorat*, nam nonnè de Sacrificio hoc Missæ scripserunt S Ambrosius, S. Augustinus, S. Hieronymus, & quàm plurimi SS. Pa

tres

tres. Legiſtine aliquando Lyturgias S. Petri, S. Jacobi minoris, S. Marci, S. Ambroſij, S. Baſilij magni ? Lyturgia autem nihil aliud eſt, quàm Latinis Sacrificium Miſſæ. Ergo falſum eſt, quòd antiquitas Miſſam, prout hæc vox accipiebatur ante Lutherum, & nunc quoque à Catholicis accipitur, *antiquitas ignoraverit*, quod ipſum confirmo ex eo: Quòd Auguſtana Confeſſio proteſtetur ſe illam Miſſam non aboleviſſe, quæ fuit prioribus ſæculis in Eccleſia ante Lutherum, hæc autem *Miſſa* fuit Sacrificium Miſſæ, ergo hanc *Miſſam* ſe non aboleviſſe proteſtatur Auguſtana Confeſſio. Unde

Quærebam 3. Cùm Auguſtana Confeſſio dicat ſe non aboleviſſe hanc *Miſſam*, cur ergo Lutheranæ Eccleſiæ in Hungaria has *Miſſas* non tantùm non aboleverint,

ſed eaſdem etiam impugnent, & impiè abominentur. Ad hanc quæſtionem ſic reſpondes non Theologicè ſed ſarcaſticè. *Quis ampullosè mendax, in Hungaria Miſſas abominatus eſt, aut eas ſuſtulit? Miſſaticum Sacrificium clauſtrum illud impietatis omnis, idololatriæ, & blaſphemiæ impugnârunt meritò.* Repono: Hæc tua reſponſio, præterquàm, quòd ſit calumnioſa, ſibimet ipſi in terminis contradicit. Miſſa ſiquidem (uti oſtenſum eſt) quam Auguſtana Confeſſio proteſtatur ſe non aboleviſſe, eſt idem, quod Sacrificium Miſſæ. Sacrificium Miſſæ aboleverunt, impugnant & abominantur Eccleſiæ Lutheranæ in Hungaria, Ergo ipſam Miſſam quam Auguſtana Confeſſio ſe proteſtatur non aboleviſſe, aboleverunt & impugnant Eccleſiæ Lutheranæ in Hungaria. Venio jam ad tuas

ca-

calumnias, quas congeris ineptissimè in Sacrificium Missæ Papisticum. Interfuistine aliquando huic Sacrosancto Sacrificio? Si non. Ergo blateras, quæ nescis. Si ita. Nonnè totum hoc Missæ Sacrificium constat ex pijssimis Orationibus. Ergo non est *impietas*. Ex laudibus Dei: ergo non est *blasphemia*. Ex adoratione Dei, & Salvatoris: ergo non est *idololatria*. Claudis hanc tuam responsionem, dicendo: *Maximam esse differentiam ut inter aurum & antimonium, ita inter Missam & Sacrificium Missaticum.* Repono. tantam esse differentiam inter Missam & Sacrificium Missæ, quanta est inter ensem & gladium, hominem inter, & animal rationale. Si verò intelligas per nomen Missæ, Missam Lutheranicam, tunc lubens concedo, quòd inter vestram Missam & Catholicum Sacrifi-

crificium Missaticum sit tanta differentia, sicut inter antimonium & aurum, imò major. Antimonium enim & aurum sub eodem genere metalli continentur; vestra autem Missa & Sacrificium Missaticum Catholicorum, toto genere differunt inter se, & ita sicut pictus homo differt à vero homine, sicut enim pictus homo solam figuram, & speciem hominis habet, sed essentiâ hominis caret, ita vestra Missa solùm aliquas ceremonias pauculas habet, uti sunt: *Kyrie eleison*, *Gloria*, *Epistola*, *Evangelium*. Essentiâ autem Missæ Sacrificij caret. Essentia siquidem Sacrificij Missæ consistit in *Oblatione*, *Consecratione*, & *Sumptione Corporis* & *Sanguinis Christi* à Sacerdote, quibus omnibus Missa vestra caret.

§ X.

§ X.

Quæstiones ex Decimo Dilemmate.

QUærebam in hoc Dilemmate 1. Lutherana Ecclesia, vel habet veram Scripturam Sacram, vel non habet? Si non habet? Quid ergo ex illa probat, & cur toties eam citat? si habet, unde eam accepit? hæc enim non est nata cum Luthero. Ergo illam accepit ab Ecclesia Romano-Catholica. Respondes: *Sit ita, fuerit nostra Bibliothecaria, Romana Ecclesia.* Putásne te hâc responsione quæstioni meæ satisfecisse? ego autem colligo, te nec quidem sensum meæ quæstionis intellexisse. Non enim quærebam de materialiter sumpta Scriptura Sacra ver. gr. de Exemplari illo Bibliorum, quo Lutherus usus

est,

eſt, quod potuit, vel in foro ſcrutario, vel in officina libraria emere, aut dono ab aliquo accipere, vel ex illo Monaſterio, ex quo profugit, furto ſurripere. Sed, unde ſciunt Lutherani, quòd libri ſacri contenti in Biblijs, ab illis ipſis Apoſtolis, & Evangeliſtis, quorum nomina referunt, fuerint conſcripti? & quidem ut à Spiritu Sancto afflatis: item quòd non fuerint ſuppoſititij, quòd non ſint ab alijs per additionem, vel ſubtractionem depravati, ſed integrè, & intaminatè conſervati, niſi ab Authoritate Romanæ Eccleſiæ & ipſius atteſtatione? Unde meritò S. Auguſtinus de ſe ſcripſit: *Evangelio non credidiſſem, niſi Authoritas Eccleſiæ me vera eſſe Evangelia docuiſſet*, hoc eſt, neſcirem, quodnam ſit verum vel apocryphum Evangelium, niſi Authoritas,

tas, & atteſtatio Eccleſiæ id mihi demonſtrâſſet, & in hoc ſenſu Romana Eccleſia fuit Sacrorum Librorum Bibliothecaria.

Quærebam proinde 2. Eccleſia Romana, à qua Lutherus Scripturam Sacram accepit, vel tunc fuit vera, vel falſa Eccleſia? Si fuit vera? igitur damnandus eſt Lutherus & illius aſſeclæ, quod Eccleſiam veram deſeruerint. Reſpondes: *Non fuit vera, ſed Apoſtatica Eccleſia*, Repono: Si non fuit vera, ſed falſa, conſequenter, & illius atteſtatio fuit falſa, quomodo ergo conſtat Luthero & illius aſſeclis, ſe non habere falſam Scripturam, & quomodo gloriari poſſunt, ſe puro Verbo Dei credere & inhærere? Ad hanc partem Dilemmatis non habes, quid directè & ſolidè reſpondeas, ſed ſolùm ſubmurmuras aliqua ſcommata, ſed & hæc

hæc talia, quæ nihil ad propositum meæ quæstionis faciunt.

§ XI.

Quæstiones ex Dilemmate Undecimo.

QUærebam 1. in hoc Dilemmate. Vel omnes libri Scripturæ Sacræ approbati ab Ecclesia Romana, sunt veri, & Canonici Sacræ Scripturæ libri, vel non? Si ita: Cur ergo aliquos ex ijs Lutherani rejiciunt, tanquam Apocryphos, uti libros Machabæorum, Apocalypsim, Epistolam S. Jacobi, & alios. Respondes: *Quia non sunt verè Canonici.* Quæro à te, an hæc sit ad propositum, & ad rem, responsio? profectò minimè. Ego quæsivi, quare ex libris sacris approbatis a Romana Ecclesia, Lutherani habeant aliquos pro libris Canoni-

nonicis, & alios pro libris apocryphis, seu, quare aliquos libros Scripturæ Sacræ non agnoscant pro Canonicis? & tu respondes, *quia non sunt verè Canonici.* Quod tamen ipsum est in quæstione. Clariùs ergo propono tibi hanc quæstionem. Et quæro: Quare aliqui ex libris Sacris, qui continentur in Biblijs, non sint verè Canonici? Respondes: *Quia Papa in Conciliabulo Tridentino propriâ Authoritate quosdam apocryphos in Canonicos, adeóque terram in cælum frustraneo conatu transmutare voluit.* Sed hæc quoque tua responsio nihil est ad rem, & in qua multipliciter erras.

Et primò quidem erras in eo, quòd Concilium Tridentinum, quod fuit universale, & Oecumenicum, nòn secus ac Concilium Nicænum, & alia Concilia Genera-

neralia per contemptum voces Conciliabulum.

Erras secundò. Dum dicis: *Papam propriâ Authoritate in Concilio Tridentino quosdam apocryphos in Canonicos transmutare voluisse.* Ipse siquidem Papa Concilio Tridentino nec quidem interfuit, sed solùm id, quod conclusum fuit in Concilio, postmodum suâ Authoritate confirmavit, idque juxta antiquissima Decreta Concilij Nicæni, in quo statutum est, ut nulla Synodus, legitimè convocari possit, nec definiri quidquam in ea; præter Romani Pontificis sententiam. Quod Concilium celebratum fuit Annis 1238. ante Concilium Tridentinum, absolutum, nempè Anno Christi 325. Quo tamen tempore fatentur ipsi adversarij, Ecclesiam Romanam fuisse incorruptam, & Apostolicam Ecclesiam.

Erras

Erras 3. dum dicis: *Canonem librorum Sacrorum, quô defactò utitur Ecclesia Romana, fuisse confectum in Concilio Tridentino.* Non enim Canonem illum de novo confecit hoc Concilium, sed solùm jam priùs observatum in Ecclesia Christiana, confirmavit, utpotè qui jam fuerat in usu Ecclesiæ tempore Innocentij I. Papæ, qui vixit mille, & ampliùs annis ante Concilium Tridentinum, & declaratus ac approbatus fuit in Concilio Laodiceno, ac in Carthaginensi III. quæ duo Concilia celebrata fuerunt primis quatuor sæculis, ac demum confirmatus in Concilio Florentino 1439. cui interfuerunt etiam Orientalis Ecclesiæ Episcopi, ac Patriarchæ.

Erras 4. dum dicis: *Apocalypsim, & Epistolam S. Jacobi à Luthera-*

theranis pro Canonicis libris haberi. Et addis contra me: *Hîc frustraneo cornupeta ictu laborat:* Nam Lutherus S. Jacobi Epiſtolam non tantùm à numero Canonicorum Scripturæ Sacræ Librorum rejicit, ſed inſuper eam ſcommaticè, ſtramineam, & indignam Apoſtolo eſſe dicit in præfatione ad Epiſtolas Jacobi, Petri, & Joannis. Et Lutherum hac in parte, ſequuntur Brentius, Chemnicius, & Centuriatores Magdeburgenſes. Præterea ſi Lutherani Epiſtolam S. Jacobi pro Canonico Scripturæ Sacræ libro habent, manifeſtè corruit ille articulus fidei Lutheranæ, Quòd *ſola* Fides ſufficiat ad ſalutem æternam obtinendam. Expreſsè ſiquidem in hac ſua Epiſtola cap. 2 v. 24. hic Apoſtolus ait: *Videtis, quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex Fide tantùm.*

tùm. & v. 14. *Quid proderit fratres mei, si Fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat, nunquid poterit Fides salvare eum?* Apocalypsim quoque Lutherus, & Calvinus simpliciter rejiciunt, & Lutherus quidem in præfatione antiquiori novi Testamenti scribit, se Apocalypsin neque pro Prophetia, neque pro Apostolico libro recipere. Ergo si ut tu dicis, Lutherani Apocalypsin, & S. Jacobi Epistolam pro Canonicis libris habent, recedunt à doctrina Lutheri.

Quærebam 2. Quòd si non omnes libri Scripturæ Sacræ approbati ab Ecclesia Romana sunt veri & Canonici Sacræ Scripturæ libri, unde sciunt, quòd Ecclesia non erraverit, approbando Evangelium Matthæi, Lucæ, Marci, & Joannis; & reprobando aliorum

Autho-

Authorum Evangelia, ut Bartholomæi, & Nicodemi. Respondes: *Ex genuinis crytirijs in ipsa Scriptura contentis.* Sed rursus nihil ad rem, nihil ad propositum. Quæro enim ex te, unde probas, te habere genuinum *crytirion* in discernendis Scripturæ Sacræ libris, quinam sint ex ijs Canonici, & qui apocryphi? tale enim *crytirion* dicebant se habere etiam alij Hæretici, & tamen etiam Lutheranorum judicio graviter à veritate aberrârunt. Sic *Alogiani* Hæretici teste Epiphanio, Hæresi 51. tres tantùm Evangelistas recipiebant, Matthæum scilicet, Marcum, & Lucam, Joannem verò utpotè sibi contrarium repudiabant. Sic *Ebionitæ* solùm Matthæi Evangelium admittebant. Sic *Cherinthus* Hæresiarcha, solum Marcum. Et *Marcion* solum Lucam in precio habebant,

bebant, nec defuerunt Hæretici, qui librum Actorum Apostolorum ex librorum Canonicorum numero, expunctum esse volebant. Alij Epistolas S. Pauli ad Timotheum, & Titum respuebant, alij omnes Epistolas omninò ejusdem S. Apostoli apocryphas esse contendebant. Ergo privatum hoc *crytirion* seu privatus hic spiritus non est infallibile discerniculum, quænam Scripturæ Sacræ libri sunt Canonici, & qui apocryphi, & tamen etiam illi se genuinum *crytirion* in ipsa Scriptura contentum habere jactabant. Ad finem hujus Dilemmatis addideram; Si Ecclesia erravit in approbatione aliquorũ Scripturæ Sacræ librorum, ut Lutherani existimant, cur non etiam in approbatione quatuor Evangeliorum? Respondes: *Sic cornutus scarabæus magis cornupeta evasit.* Videat quæso benevo-

nevolus Lector, an hæc responsio sit ad rem & ad propositum? non magis certè ea quadrat ad meam quæstionem, quàm pugnus ad oculum.

§ XII.

Quæstiones ex Duodecimo Dilemmate.

IN hoc Dilemmate quærebam 1. Apocalypsis, vel est liber apocryphus, vel Canonicus? Si Canonicus: Ergo & libri Machabæorum sunt Canonici. Respondes: Quæ consequentia? an illa? *Baculus in angulo, ergo cras pluet.* Verùm hæc tua responsio est tantùm sarcastica argumenti mei explosio. Unde si vellem tecum inurbanitate concertare, congruentiùs inferrem hanc consequentiam. Baculus stat in angulo, ergo qui tam malè respondet ut tu, con-

cutiendus est illo. Consequentiam igitur argumenti mei probo eodem argumento, quo S. Augustinus Alogianis Hæreticis probabat librum Actorum Apostolorum esse librum Canonicum Scripturæ Sacræ, sic illud proponendo: Libri Evangeliorum ex ea ratione censendi sunt libri Canonici Scripturæ Sacræ, quia ab Ecclesia sunt ut tales declarati. Atqui etiam liber Actorum Apostolorum est ut liber Canonicus ab Ecclesia declaratus, ergo est liber Scripturæ Sacræ Canonicus. In quo argumento S. Augustini ego subsumo: atqui etiam liber primus, & secundus Machabæorum est æquè declaratu ab Ecclesia Canonicus ac Apocalypsis. Ergo bene concludo: Quòd si Apocalypsis est Canonicus, etiam libri Machabæorum sunt Canonici. Ad illud, ubi addebam: cùm sit

par utriusque ratio. Respondes: *Quæ ratio an irrationalis?* Ego autem ostendo esse rationalem rationem, nam ubi est eadem ratio formalis, ibi etiam est consequentia ejusdem rationis. Hîc autem est eadem ratio formalis pro libris Machabæorum, quæ est pro Apocalypsi, quòd sit liber Canonicus, nempe Authoritas Ecclesiæ, & illius approbatiō & declaratio. Ergo utriusque est par ratio. Ergo benè intuli, quòd si liber Apocalypsis sit liber Scripturæ Sacræ Canonicus, etiam libri Machabæorum sunt Canonici. Unde ulterius inferebam, ergo cùm Catholici ex libro Machabæorum probant, orationem pro defunctis esse sanctam & salubrem, non debent adversarij recurrere ad illam exceptionem: Quòd libri Machabæorum sint Apocryphi.

Quæ-

Quærebam 2. Quòd si liber Apocalypseos sit apocryphus (uti Lutherus tenet & multi Lutherani cum illo) quomodo ex eo nituntur (licèt perperam) probare adversarij Pontificem Romanum esse Antichristum. Respondes: *Sit Apocalypsis liber apocryphus, vobis tamen Papistis est Canonicus, vos*(*que*) *ex vestra opinione graviter ferit, an firmitas argumenti ad hominem ignota est?* Repono: Bene quidem novi, quid sit argumentum ad hominem, & quæ sit illius firmitas. Sed hîc nullum video tale argumentum ad hominem: Fuêre siquidem ab initio ferè Ecclesiæ quàm plurimi explanatores & interpretes Scripturæ Sacræ sapientissimi atque doctissimi, ipsiúsque etiam libri Apocalypseos, & nulli vel in mentem venit, ex illo probari posse Pontificem Romanum

manum esse Antichristum. Primus fuit Lutherus, qui ex vehementissimo rancore ac vindictæ cupiditate aliquos ex Apocalypsi textus, quos ipsemet non intelligebat, ad confirmandam hanc falsitatem cœpit detorquere, & juxta proprij malesani cerebri dictamen interpretari. Igitur ex Apocalypsi non potest formari contra Catholicos argumentum ad hominem, Catholici enim, qui admittunt, Apocalypsin esse librum Canonicum Scripturæ Sacræ, negant vestram ejusdem interpretationem esse veram, utpotè interpretationi SS. Patrum & primitivæ Ecclesiæ prorsus dissonam. Et sic tua argumentatio est ad neminem, non ad hominem.

§ XIII.

§ XIII.

Quæstiones ex Decimo tertio Dilemmate.

IN hoc Dilemmate quærebam 1. Vel Lutherus, aut Calvinus fuerunt fallibiles in sua doctrina vel non? Respondes: *Fuisse fallibilem B. Lutherum, quà hominem concedis, quatenus cùm, & ex verbo Dei locutus est, negas.* Verùm quid hoc aliud est dicere, quàm concedere, quòd mendacissimus homo mentiatur quidem in quantum est talis homo, non tamen quando conformiter ad rem & ad conceptum loquitur. Deinde, quando Luthero præponis literam B. tu fortassis intelligis, locò B. Beatum, quod ego præstare non possum salvâ conscientiâ, & salvâ rectâ mente. Quid si igitur legerem

Beanum, vel hoc adhuc deteriorem, esse enim Hæresiarcham est quid deterius in Academijs quàm esse Beanum.

Pergo ulterius in Dilemmate: Si ita: hoc est si Lutherus fuit fallibilis in sua doctrina; ergo & tu es fallibilis, si recedis à Lutheri doctrina in tuis opinionibus. Respondes: *Concedo quatenus homo sum fallibilis, non quatenus Dei Verbo nitor.* Repono: Non esse dubium, quòd, quando dicis verum, tunc non mentiaris, sed hoc ipsum tibi restat probandum, quòd id, quod dicis, nitatur Verbo Dei, & quidem clarè, ac expresſè scripto. Igitur alio modo proponam tibi hoc Dilemma: Vel Lutherus deceptus est, quando judicabat doctrinam suam Verbo Divino niti, vel non? Si ita: Ergo & tu poteris decipi, quando recedis á do-

ctrina

ctrina Lutheri, & judicas doctrinam tuam Dei Verbo niti, ergo non habes certitudinem infallibilem de veritate tuæ doctrinæ.

Pergo jam ad alteram partem Dilemmatis. Si Lutherus non fuit fallibilis in sua doctrina, ergo tu Lutherane, omnia illa, quæ Lutherus tenuit & docuit, debes admittere. Respondes: *Utique si verba Lutheri rectè accipiantur.* Repono: Certè rectiùs accipi non poterunt, quàm si in eo sensu accipiantur, in quo sensu à Luthero prolata sunt.

Videamus proinde, quomodo tu doctrinam illius explices: Primò igitur subsumpseram: Atqui Lutherus docuit etiam fœminas ad Sacerdotium promoveri posse. Tomo 2. latinè impresso Wittembergæ anno 1546. fol. 305. Ad hoc respondes: Lutherum illic loci docere,

Solùm hoc fieri posse si extrema necessitas id requireret, qualis esset in Ecclesia plantanda, vel ubi non adessent viri fideles, ut in Monialium Monasterio. Repono: Calvam hanc esse tuam excusationem primò: Quia Lutherus nunquam sollicitus fuit de Ecclesia plantanda inter paganos & Gentes, sed solùm de Ecclesia veteri destruenda, multò minùs autem laborabat de profectu Spirituali Monialium, sed magìs de illis ex Monasterio extrahendis, ergo locutus est de fœminis generaliter, & sinè his limitationibus, sexui huic in omnibus complacere volens.

Subsumebam secundò. Atqui Lutherus docuit, Christianos omnes absque ulla conditionis aut sexûs distinctione esse peræquè Sacerdotes. in libro de captivitate Babylonica, & tomo 7. Wittem-

berg.

bergæ impresso latinè anno 1557. folio 249. Respondes: *Lutherum hoc in puncto rectè docere, & ipsius doctrinam consentaneam esse Sacræ Scripturæ* Apocalypsis 1. v. 6. *Sunt siquidem omnes Christiani absque ulla conditionis aut sexûs distinctione spirituales sacerdotes.* Et 1. Petri 2. v. 9. *Qui seipsos Deo in holocaustum offerunt.* Repono: Revera Ecclesia Lutherana est mirabilis, imò & incredibilis, nam ante Lutherum fuit invisibilis, sacerdotes defactò habet sinè numero, sed pariter invisibiles, quia spirituales, interpretes Scripturæ occultissimos, nempe uniuscujusq; propriũ & privatum spiritum, successionem Pastorum & doctrinæ invisibilem, qui ante Lutherum nusquam f..ê-re & nunquam. Deinde nunquam fuit controversia mota inter Lutherum & Catholicos de talibus

 mysti-

mysticis sacerdotibus, sed de ijs, qui fuerunt ordine, munere, officio, potestate ac dignitate Sacerdotali præditi. Addis deinde: *Non esse tamen omnes Christianos absq; ulla conditionis aut sexûs distinctione, in eo sensu, ac si illis sine vocatione, sacra ministerij Ecclesiæ munera, publicè & ordinariè peragere liceret.* Repono: Aliquid ad rem in hac responsione videris dixisse, dum ais: *Non posse omnes omnino Christianos sine ulla conditionis aut sexûs distinctione propriè dici Sacerdotes* (quæ tamen etiam propositio est opposita Lutheri doctrinæ) sed statim eandem destruis, cùm eam sic limitas, *ac si illis sinè vocatione Sacra Ministeria Ecclesiæ publicè & ordinariè peragere liceret.* nam hinc infertur. Ergo suppositâ vocatione (quæ apud vos nihil aliud est, quàm invitatio per lite-

literas ad munus Paſtorale)ſinè ulla ordinatione ſpeciali licebit omnibus Chriſtianis,ſinè ulla conditionis,aut ſexûs diſtinctione,munus Sacerdotale peragere: & etiam ſinè hac vocatione,ſed tamen privatim, & extraordinariè.Ego autem aſſero: In Lutherana Eccleſia nullum omninò eſſe verè,& propriè Sacerdotem (niſi qui apud Catholicos priùs ordinatus fuiſſet) Quia de ratione Sacerdotij eſt poteſtas remittendi peccata,& conficiendi Corpus & Sanguinẽ Chriſti in Euchariſtia. Apud vos autem in Paſtorem Eccleſiæ ordinatus, nullus hanc poteſtatem accipit, nec ordinans eam conferre intendit; ſed neque ipſemet illam habet (nemo autem dat alteri, quod non habet) nec eam intendit ſuſcipere ordinatus, ſinè intentione autem ordinantis, & ordinandi,Sacramentum Ordinis va-

 lidè

lidè non suscipitur, uti nec sinè potestate Ordinantis. Ergo.

Sumpseram 3. Lutherum docuisse; Polygamiam licitam esse, id est licere viro plures uxores habere. In propositionibus de Bigamia Episcoporum prop. 61.65.69. Respondes: *Lutherum ibi loqui de Polygamia successiva, non simultanea.* Sed non satisfacis: nam Lutherus in Caput 16. Genesis, non obiter, sed ex professo disputat: utrùm Christianis liceat Exemplo Abrahæ plures simul uxores habere? ac tandem respondet: id neque esse præceptum, neque prohibitum, sed liberum; ergo frustra eum excusare conaris per Bygamiam successivam. Hæc enim semper fuit, & nunc est licita apud Christianos, ergo non potuit vocari à Luthero in disputationem, & proponi inter propositiones concertationi publicæ expo-

expositas. Demùm has propositiones & doctrinam Lutheri multi Doctores Theologi Catholici oppugnare susceperant, quæ autem materia fuisset oppugnationis, si is locutus fuisset solùm de Bygamia successiva, de qua nullus dubitat.

Subsumpseram 4. Atqui Lutherus docuit, licere marito, uxori debitum conjugale deneganti dicere: si tu nolueris, alia volet: si domina nolit, adveniat ancilla, Tomo 1. Wittembergæ impresso anno 1554. Sermone de matrimon. folio 123. Respondes: *Lutherum ibi loqui de incorrigibili debiti conjugalis denegatione seu malitiosa defectione, quâ etiam in domo conjux à mensa & thoro se malitiosè separat, tunc interveniente consistorio vel judice spirituali pars innocens, hoc admonendo potest dicere, & aliam uxorem obtinere exemplo Asve-*

Aſveri. Verùm non ſatisfacis, non enim Lutherus docet id ſolùm comminando uxori dicendum: quòd eandem ob pertinaciam in reddendo debito conjugali velit conſiſtorio vel Judici Spirituali deferre, ſed peremptoriè: ſi tu nolueris, alia volet: ſi domina nolit, adveniat ancilla. Deinde interveniente etiam conſiſtorio, vel Judice Spirituali, ſi ob graviſſimas cauſas conjuges debent ſeparari. tantùm quoad thorum poſſunt ſeparari, non verò etiam quoad vinculum, ita ut iiſdem liceat, alia inire matrimonia, de ratione ſiquidem & eſſentia matrimonij eſt perpetuitas, nam *Quos Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Matt. 19. v. 6. *Et quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam.* Marci 10. v. 11. Et Apoſtolus ad Ro-

man. 7. v. 2. ait: *Quæ sub viro est mulier vivente viro alligata est legi, si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri, igitur vivente igitur viro adultera vocabitur, si fuerit cum alio viro.* Exemplum verò, quod adfers de Asvero Rege, nihil est ad propositum, aliàs enim sequeretur, quòd maritus plures etiam uxores, possit superinducere exemplo Asveri.

Sumpseram 5. Atqui Lutherus docuit: Nefas esse Christianis, bellum contra Turcas gerere. Tom. 2. Latín. Wittemberg. art. 34. Respondes: *Puta si injusta causa subsit, aut incommodè suscipatur.* Verùm non satisfacis, neque eundem satis excusas. Nam Lutherus universaliter, & sinè his limitationibus loquitur hac de re, dum ait: *Præliari contra Turcas, est repugnare Deo, visitanti iniquitates nostras.*

ſtras. Item: *Qui habet aures audiendi audiat, & à bello Turcico abſtineat.* Atque ex hac peſtilenti doctrina, id conſecutum eſt, ut ſcribit Coclæus in actis Lutheri. Quòd Ludovico II. Regi Hungariæ, nullæ ſuppetiæ, à Germaniæ Principibus contra Turcam datæ fuerint, quibus is deſtitutus, miſerè in prælio ad Mohacz interijt, & tota ferè Hungaria ſub jugum Turcicum miſſa eſt. Et his adhuc non obſtantibus, erunt aliqui tam protervi in Hungaria, qui hujus proditoris Chriſtianitatis ac Hungariæ, doctrinam ſequantur & tueantur? Proh dolor! proh pudor! Deinde tempore illo, quo Lutherus hoc docuit, ſuberat juſtiſſima cauſa belli Turcici, ſiquidem tunc Hungaria injuſtiſſimè invaſa fuit à Turcis, & qui toti Chriſtianitati tunc imminebant, neque

erat bellum offensivum, sed defensivum. Frustrà igitur, etiam quoad hoc punctum, ab errore & malesana doctrina, eum excusare niteris.

Subsumpseram 6. Atqui Lutherus docuit tria esse Sacramenta: lib. de Captivitate Babylonica, Respondes: Ita, *Sed lato modo sumpto Sacramenti vocabulo*. Verùm non satisfacis: Nam si lato modo sumatur vocabulum Sacramenti, multò plura erunt Sacramenta quàm tria: Nomine siquidem *Sacramenti* lato modo sumpti significatur primò. Omnis Cæremonia, quâ homines sacris initiantur. Secundò. Omne Arcanum & Secretum. Tertiò signum externum rei Arcanæ & latentis. Quartò. Pignus à litigantibus in loco sacro depositum. Quintò. Solenne Juramentum, quo quis Deum in testem invo-

invocat. Sextò. Omne Myſterium. Deinde hoc loco locutus eſt Lutherus de Sacramentis Eccleſiæ propriè dictis, horum ſiquidem numerum oppugnabat, vel ſaltem in dubium revocabat, qui tamen uti in alijs rebus, ita & de numero Sacramentorum fuit inconſtantiſſimus. Nam initio ejuſdem libri dicit eſſe unum tantùm Sacramentum ſi ſecundùm uſum Scripturæ loquendum ſit. Ibidem iterum ait: Non eſſe quidem Septem Sacramenta, ſed pro tempore Tria eſſe ponenda, rurſus in medio libri de Confirmatione ſcribit: ſe non damnare Septem Sacramenta, ac demum in fine ejuſdem libri aſſerit, ſi rigidè loqui volumus duo eſſe tantùm Sacramenta. Ita ſententias ſuas mutabat Lutherus prout magìs vel minùs erat temulentus à cereviſia Saxonica.

Sub-

Subſumpſeram Septimò. Atqui Lutherus aſſerit ſe admodum certum eſſe Purgatorium dari Tom. 1. Wittemberg. Latin. fol. 12. par. 1. Sufficere Communionem ſub una ſpecie Tom. 7. for. 17. part. 2. Non prohiberi invocationem Sanctorum Tom. 1. latin. Wittemberg. anno 1549. Et Beatiſſimam Virginem poſſe invocari. Tom. 6. fol. 21. part. 2. ſuper Magnificat. Ergo. Reſpondes: *Hæc adhuc ut Papiſta & ſecundùm quid aſſerit, deinde illuminatus mentem mutavit.* Repono: Rectiùs fortaſſis poſuiſſes locò *deinde mentem mutavit*, deinde mente captus fuit, ſed hâc reſponſione non ſatisfacis. Hinc enim ſequeretur, quòd dum oppugnare cepit Eccleſiam anno 1517. non fuerit illuminatus à Spiritu Sancto, ſed inſtigatus à ſpiritu malo, Deinde multa ex enume-

ratis

ratis scripsit longè post suam ab Ecclesia Apostasiam, quis igitur illum credet tamdiu in Lutheranismo Papistam mansisse. Demum quo anno igitur illuminatus est, à Spiritu Sancto? Et quid si diutius vixisset, magis fortassis illuminatus fuisset, & plura quæ docuit, revocâsset, sicut constat eum de Sacramento Eucharistiæ, aliud ante mortem sensisse, quàm priùs docuerit. Frustrà igitur te fatigâsti bone Japhet in contegenda nuditate, nequam tui Parentis Lutheri. Prudentiùs longè fecit, alter refutator horum Dilemmatum, dum rotundè ad hanc meam quæstionem respondet: *Lutheranos non jurare supra verba Lutheri.* Atque sic se eliberavit, & extricavit à molesta & violenta explicatione scurrilis & inconnexissimæ doctrinæ Lutheri, sed in alteram partem

Di-

Dilemmatis se se intricavit, nempè: Quòd si Lutherus fuit fallibilis in sua doctrina, etiam moderni Lutherani dissentientes à doctrina Lutheri sint fallibiles, adeóque nullam certitudinem habeant de veritate suæ doctrinæ. Addidi ad finem Dilemmatis hujus, Lutherum docuisse alia quoque plurima, quæ Lutherani defactò non admittunt, qualia sunt sequentia: 1. Teneri Fideles diebus Festivis audire Missam Tom. 1. latin. folio 18. part. 2. *in Expositione Decalogi*. 2. Vota Deo facta servanda esse, Tom. 6. fol 182. part. 1. *de votis Clericorum & Religiosorum*. 3. Sanctam Ecclesiam Romanam in omnibus sequendam esse, Tomo 7. fol. 14. part. 1. 4. Mandata Dei servari posse per gratiam Dei, Tom. 5. fol. 493. part. 1. 5. Ecclesiam Christianam errare aut falsum doce-

docere non posse, Tom. 7. fol. 561. part. 1. de Vera antiqua Ecclesia. 6. Ecclesiam Romanam præ alijs omnibus esse honorandam, Tom. 7. part. 2. 7. Confessionem peccatorum Confessario esse faciendam, Tom. 7. fol. 11. part. 2. *in concione super præparatione ad Sacramentum*. 8. Ordinem esse Sacramentum, Tom. 1. latin. Wittemb. fol. 221. in Resolutionibus. 9. Matrimonium esse Sacramentum, Tomo 5. fol. 127. part. 1. in Cap. 24. Genesis. 10. Confirmationem esse Sacramentum, Tom. 7. folio 34. part. 1. Unde concludo Lutheranos modernos, non tantùm ab antiqua Romana Ecclesia, sed etiam ab ipso Luthero, & ejusdem prima doctrina defecisse, ac descivisse.

§ XIV.

§ XIV.

Quæstiones ex Decimoquarto Dilemmate.

HOc Dilemma sic proposueram: Vel datur aliquis Hæreticus, vel non datur? Si non, Ergo ver. gr. Arius non fuit Hæreticus, nec Manichæi fuerunt Hæretici. Ergo omnes Hæretici sunt Orthodoxi. Ergo nullum datur discrimen inter Hæreses & doctrinam Veræ Christi Ecclesiæ. Si ita? Quæro: Unde scis Arium fuisse Hæreticum? non aliunde certè quàm quòd ut talis per Concilia fuerit declaratus ab Ecclesia? Respondes: *Quasi verò sola damnatio à Concilio facta hæreticum efficiat. Atqui Menandriani, Saturniani, Ebionitæ, & alij in quo Concilio damnati sunt? Ergo isti Hæretici non erant: En antiquissimorum*

rum Hæreticorum Rabulam cornigerum Tyrnaviensem? Repono: (Dissimulato interim ultimo tuo in me scommate) Et dico te meam propositionem non satis intellexisse. Non enim intendebam evincere, quòd non possit re ipsâ esse Hæreticus sinè declaratione Concilij, scio siquidem dari internas Hæreses, dari pariter occultas, & privatas opiniones Hæreticas, sed neque id fieri posse, ut pro singulis novis, & erroneis in Fide dogmatibus nova Concilia, præsertim Generalia ab Ecclesia indicantur, ac convocentur. Nam solùm post Ultimum Concilium Generale nempè Tridentinum, tot ferè sunt exortæ novæ Hæreses, quot evoluti sunt anni ab illius terminatione. Verùm hoc loco volui tantùm id demonstrare: Quòd omnis ille qui ab Ecclesia declaratur per Concilia

cilia Generalia esse Hæreticus, pro tali habendus sit ac omnibus Fidelibus, nec aliunde aliquis haberi debet pro publico & notorio Hæretico, nisi is, vel ejus doctrina sit ut talis declarata ab Ecclesia. Atque sic per Concilium Nicænum declaratus est Hæreticus Arius. Per Concilium Constantinopolitanum primum, Eunomius & Macedonius. Per Concilium Chalcedonense Euticheś, per Concilium II. Nicænum Iconoclastæ, & eadem ratio est de alijs Hæresiarchis & Hæresibus Reassumo igitur idem argumentum sic: Arius ideo habendus est pro publico, & notorio Hæretico, ab omnibus fidelibus, ejúsque doctrina Hæretica, quia ut talis ipse, & illius doctrina est declarata ab Ecclesia, per Concilium Generale nempè Nicænum primum. Subsumo jam: Atqui

qui etiam Lutherus, & Calvinus declarati sunt ut Hæretici & eorundem doctrina ut Hæretica ab Ecclesia per Concilium Generale Tridentinum. Ergo etiam Lutherus & Calvinus habendi sunt pro publicis, & notorijs Hæreticis, & Hæresiarchis, & illorum doctrina Hæretica, & spero quòd in majori propositione hujus argumenti sic explicata, non facies ampliùs difficultatem. Subsumpta igitur minor tibi restabit si non solvenda, saltem arrodenda. Obsecro autem te, ne pro disparitate inter Concilium Nicænum, & Tridentinum mihi adducas: Quòd illud fuerit in Oriente, & hoc in Occidente, illud in Bythinia, hoc autem in Tyroli. Quia hæc disparitas nihil esset ad propositum & nihil ad rem. Igitur ad illam sic respondes: *Bona verba quæso? Hoc*

modo

modo & Athanasius, omnium Hæreticorum pessimus evadet, quia non tantùm ab aliquot Concilijs, sed etiam toto Orbe condemnatus est, injustissimum autem Conciliabulum Tridentinum fuisse, ex ipsis Hungariæ Episcopis, Andreas Dudithius ostendit. Repono: Tria sunt, quæ in hac tua inepta responsione observo. Et primò petis: *Bona verba*, Libenter hæc tibi do, & precor, ut bonorum verborum non tantùm sis Auditor, sed & observator juxta doctrinam S. Jacobi Apostoli: *Charissimi, estote factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos, quia si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo: consideravit enim se & abijt, & statim oblitus est qualis fuerit* Jacobi 1. Secundò ais: *Hoc modo & Atha-*

Athanasius omnium Hæreticorum pessimus evadet, quia non tantùm ab aliquot Concilijs, sed etiam toto Orbe condemnatus est. Repono: & dico S. Athanasium à nullo Concilio, taceo ab aliquot Concilijs condemnatum fuisse, sed tantùm ab aliquot Conciliabulis vel potiùs Conventiculis Arianorum, ex invidia, & rancore, ex eo, quòd in Concilio Nicæno Fidem Orthodoxam & Catholicam strenuè propugnâsset, & ideò ab illis de Sede sua Alexandrina, pulsum & ad exilium condemnatum fuisse, non ob erroneam doctrinam in Fide (constat siquidem ipsum usque ad obitum, in Fide Orthodoxa permansisse) sed ob falsas, & confictas in eum Arianorum criminationes: Qui ab eadem sua Ecclesia, fraude & dolo ac malevolentia eorundem Arianorum sæpè ejectus, sæpè in ean-

tandem & Julij Romani Pontificis auctoritate, & Constantis Imperatoris patrocinio, ac Concilij Sardicensis, ac Jerosolymitani decretis restitutus est, ac in eadem pijssimo fine quievit, postquàm multa piè, & ad illustrandam Catholicam Fidem præclara scripsisset, séxque & quadraginta annis in summa temporum varietate Alexandrinam Ecclesiam sanctissimè gubernâsset. Tertiò ais: *Injustissimum Conciliabulum Tridentinum fuisse ex ipsis Hungariæ Episcopis, Andreas Dudithius ostendit.* Repono: Hâc ratione etiam Arius Nicænum Concilium, in quo damnatus est, & omnes Hæresiarchæ contra illa Concilia, à quibus damnati sunt eandem exceptionem potuissent facere. Quo autem argumento tu Concilium Tridentinum injustissimum fuisse probas,

 non

non aliud adducis, quàm quòd Andreas Dudithius, unus ex Episcopis Hungariæ, qui eidem Concilio interfuit tale fuisse ostendit, vel potiùs effutivit. Ita, dum cœcus cœco ductum præstat, ambo in foveam cadunt. Itàque cujusnam momenti sit authoritas in hoc puncto Andreæ Dudithij, videamus: Fuit is natione Hũgarus Episcopus Quinque-Ecclesiensis, Imperatori Maximiliano, dum vixit percharus, pro quo multas de gravissimis rebus Legationes, magna cum laude obivit. Tandem cùm in Legatione ad Sigismundum Regem Poloniæ, nobilem puellam *Sophiam Gonisellam* nomine vidisset; formæ captus pulchritudine, sic repentè ejus amore exarsit, ut dummodò eâ potiretur, omnia susque deque habere, adeóque Religionem potiùs deserere decrevit, siquidem aliter
ejus

ejus potiundæ ſpes nulla eſſet, verecundia tamen, & conſcientia aliquamdiù eum retinuit, ſed ſuperante concupiſcentiâ pudorem, eandem in matrimonium duxit, & ſic ex Hungaria primò in Poloniam, deinde in Sileſiam commigravit, nullam certam Religionem in tanta confuſione profeſſus, ſed pariter omnes, etiam illam cui nomen dederat Calviniſticam ſcilicet (hanc enim Lutheranæ Religioni præferebat) irridens. In Epiſtola quadam ad Bezam, qui Poëmata ſua ipſi dedicârat, ingenuè fatendo: Romanam Eccleſiam non ita ut Novam Evangelicam in tot factiones, ac Sectas diſtractam, & plauſibili inſuper Venerabilis Antiquitatis, & perpetui conſenſûs fundamento eſſe ſubnixam, Quòd ſi Patrum in doctrina conſenſus, ſit ipſa veritas, eam pro-

dubio, stare à Papistarum partibus, ortis enim inter doctos in Papatu, de quacunque re disputationibus, statim, vel Conciliorum decretis, vel Pontificum auctoritate, controversias omnes componi. Non igitur Dudithius ob veritatem Doctrinæ Novæ, sed ob carnis illecebras à Fide Orthodoxa apostatavit, & ex novis Sectis non ad Lutheranicam, sed ad Calvinianam transivit, quamvis & hanc postmodum deseruit, nullaque Religio ex novis eidem placuit, ad antiquam tamen Fidem non redijt, & sic miserè obijt. Vide Florimundum Ræmundum in Historia de progressu, & ruina Hæresum prioris Sæculi li.4.f.578. Vide jam quantū te juvat in tua responsione infamis viri istius authoritas.

Adfinem hujus Dilemmatis addideram; Nec aliunde probabit

Luthe-

Lutheranus Arianum esse Hæreticum (nisi ex definitione & declaratione Conciliorum) Nam quidquid adducit pro se Lutheranus, quòd non sit Hæreticus, id etiam adducere potest, & eodem jure pro se Arianus & quilibet Sectarius Respondes ad primam partem hujus puncti: *Ex Sacra Scriptura probabit.* Repono: Qualiter quæso eum ex Scriptura Sacra convinces esse Hæreticum? Fortassis dices, tali argumento: Quicunque, docet aliquid quod est contra claram Scripturam Sacram, est Hæreticus; Ariani docent talia, quæ sunt contra claram Scripturam Sacram: Ergo Ariani sunt Hæretici. Ad hoc argumentum respondebit Arianus concedendo majorem, negando minorem, & petet sibi probari minorem ex clara Scriptura Sacra.

Eam tu conaberis ſic probare: A-
riani credunt & docent Filium in
Divinis non eſſe æqualem Patri,
docent Deum non eſſe unum &
Trinum. Hæc ſunt contra claram
Scripturam Sacram. Ergo Ariani
docent talia, quæ ſunt contra cla-
ram Scripturam Sacram: Arianus
concedet hujus argumenti majo-
rem, negabit verò minorem. Pro-
babis tu ſic minorem. Ex Scri-
ptura Sacra 1. Joan. 5. v. 7. *Tres
ſunt qui Teſtimonium dant in Cœ-
lo: Pater, Verbum, & Spiritus San-
ctus, & hi Tres unum ſunt.* Et in-
feres: Ergo Deus eſt Unus in Eſ-
ſentia & Trinus in Perſonis. Item
Joan. 10. v. 30. *Ego & Pater U-
num ſumus.* & *inferes*: Ergo Filius
eſt æqualis Patri & idem in Eſſentia
& Subſtantia. Reſpondebit Aria-
nus explicando citatos Textus. In
illis ly *Unum* accipiendum non
eſſen-

essentialiter sed moraliter, hoc est: Pater, Verbum & Spiritus Sanctus. Item Pater & Verbum unum sunt, consensu, mente, & voluntate; sicut in Actis Apostolorum legitur c. 4. v. 32. *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una.* Dices tu Ariano: Textus hos explicandos esse de Unitate Essentiæ, & Substantiæ, sicut eosdem explicuerunt veteres Sancti Patres, & quatuor Primitivæ Ecclesiæ Concilia. Respondebit tibi Arianus; Vos Lutherani, quando contra vos adducunt Catholici Interpretationem veterum Sanctorum Patrum, vel Conciliorum Primitivæ Ecclesiæ, eam non acceptatis: Ergo multò minùs, quando vos eam contra nos adducitis, tenemur illam acceptare Verum proinde est, Lutheranos non posse probare Arianos esse Hæreticos, ex sola Scriptura Sacra.

Ad alteram partem meæ illationis, nempè: *Nam quidquid adducit pro se Lutheranus, quòd non sit Hæreticus, id etiam adducere potest & eodem Jure pro se Arianus & quilibet Sectarius.* Respondes: *Hoc non ita nudè asserendum, sed probandum erat.* Verùm hoc in puncto tibi incumbit probatio, non mihi. Mea siquidem hæc Thesis est: Lutheranus non potest pro se adducere tale argumentum, quo probet se non esse Hæreticum, quòd non possit etiam Arianus eodem Jure pro se assumere, & probare se non esse Hæreticum. Unde sic arguo: Vel potes tale argumentum adducere, vel non potes: Si secundum: Ergo vera est mea propositio, quam tu negas. Si potes, quæso ut illud adducas: Nam si esset aliquod argumentum tale; esset vel maximè hoc: Quòd illa

illa doctrina non sit Hæretica, quæ est ad amussim & per omnia conformis Scripturæ Sacræ. Talis est Lutherana Religio. Ergo. Ast Arianus ponet eandem majorem & subsumet, idque æquali jure. Talis est Ariana Religio, Ergo. Si tu cites pro veritate tuæ Sectæ aliquos Scripturæ Sacræ Textus: Arianus quoque citabit pro veritate suæ Sectæ Scripturæ Sacræ Textus. Urgebis. Arianum non accipere citatos Textus in vero sensu, idem dicet Arianus de Lutherano. Instabis te habere crytirion, & dictamen privati spiritûs quòd sic interpretari debeant citati à te Scripturæ Sacræ Textus, sicut eos tu interpretaris. Respondebit Arianus, se quoque habere suum crytirion, & privati spiritûs dictamen, quòd non debeant sic interpretari, Sed sicut ipsemet eosdem inter-

terpretatur. Ergo quidquid adducet Lutheranus ad probandum quòd non ſit Hæreticus, id totum pro ſe adducere poteſt Arianus ad probandum quòd ipſe non ſit Hæreticus; Ego autem dico: Et Arianum, & Lutheranum eſſe æquè Hæreticum, & ſpiritum privatum Arianorum eſſe mendacem, Lutheranorum verò fallacem, & minimè veracem, ac Interpretationem Scripturæ Sacræ non deſumo ex meo privato ſpiritu, ſed ſequor Interpretationem veterum SS. Patrum & Primitivæ Eccleſiæ.

§ XV.

Quæſtiones ex Dilemmate Decimoquinto.

ULtimum hoc Dilemma ſic propoſueram: Vel omnes Sectæ hujus Sæculi ſunt veræ, vel una tantùm eſt vera? Si omnes ſunt

veræ:

veræ : Ergo aliquæ duæ propositiones cotradictoriæ, possunt simul esse veræ, quod est absurdissimum & falsissimum. Respondes : *Ita quidem volunt moderati Theologi commodiore nomine Syncretistæ appellati, unde rectè id sequitur.* Admittis igitur hanc sequelam de Syncretistis, & tamen Syncretistæ pro Lutheranis se gerunt. Vide jam : qualis sit unitas Fidei inter Lutheranos, & in quot alias Sectas sint divisi? Ita, ut esto constet aliquem esse Lutheranum Religione, adhuc subest dubium, qualisnam Lutheranus sit: utrùm Syncretista, vel Ubiquista, an ex mollibus, an ex rigidis Lutheranis? vel Confessionista, vel Interimista, vel Quodlibista, vel Adiaphorista? tu tamen eligis dicere (ut hoc absurdum evites) quòd unica sit tantùm vera inter omnes Sectas, &

Reli-

Religiones hujus Sæculi. Jam sic contra te arguo: Si unica tantùm est vera ex omnibus Sectis, & Religionibus hujus Sæculi, deberet illa adducere tale argumentum pro sui veritate, quod alia Secta non posset æquali jure pro se allegare. *Quam propositionem tu admittis.* Subsumo: Tale argumentum Lutherana Secta non potest adducere contra Calvinisticam, Arianam, Anabaptisticam, &c. Respondes ad hanc subsumptam: *Quare non? Provocamus ad Sacram Scripturam, ad quam aliæ Sectæ de jure provocare nequeunt, quia ab ea dissentiunt.* Repono: Iterum nihil ad rem, & considera quæso, an hoc sit tale argumentum, quod aliæ Sectæ æquali jure, non possint pro se adducere? nonnè, & Calvinistæ provocant in sua doctrina ad Scripturam? Nonnè & Anabaptistæ? nonnè

nonnè & Ariani? & omnes aliæ Sectæ? ad rationem autem quam addis, quòd aliæ Sectæ non possint provocare se ad Sacram Scripturam; Quia scilicet ab ea deficiunt. Idem omninò, & aliæ Sectæ dicunt de Lutherana Secta, quòd illa à Scriptura Sacra deficiat. Et Calvinistæ quidem eam dicent à Scriptura Sacra ex eo deficere; Quòd Lutherani Festa Sanctorum celebrent, & Imagines Sanctorum in Templis suis retineant: quod hostias; & non usualem panem comunicantibus distribuant: quòd Christum ubique etiam secundùm humanitatem esse asserant. Anabaptistæ dicent Lutheranos in eo deficere à Scriptura Sacra: quòd infantes baptizent: Ariani ex eo, quòd Filium in Divinis consubstantialem Patri, & æqualem credant, siquidem hæc nullibi sint in Scri-

Scriptura Sacra clarè expressa. Cùm tamen Lutherani unà secum teneant, nihil esse credendum, & tenendum, nisi quod est in Scripturis Sacris clarè expressum.

Conclusi demùm hoc dilemma hâc illatione: Ergo non est ratio, cur ex modernis acatholicis Sectis una alteri præeligatur, aut cur una censeatur esse vera, reliquæ verò falsæ? Respondes ad hanc ultimam illationem: *Quia tibi scilicet ex tuo cornigero cerebro sic videtur?* Repono: Sicut per decursum tuarum responsionum nihil ad rem & nihil ad propositum respondisti: Ita & hoc tuo Epilogo nihil ad rem & nihil ad propositum responsiones tuas conclusisti. Compello omnes viros doctos; videãt, an hæc responsio sit digna Regio-Montano Academico? videant inquam, & rideant. Meo certè & omni sano

cere-

cerebro ſic videtur: Quòd ubi non adducitur pro eligenda aliqua parte major ratio, quàm pro altera, non ſit ratio cur una alteri præeligatur. Lutherani non adſerunt majorem rationem pro veritate ſuæ Sectæ, quàm aliæ Sectæ. Ergo non eſt ratio cur illorum Secta præ alijs ſit eligenda. Adducas quæſo hanc majorem Rationem pro veritate Lutheranæ Religionis, & talem quam aliæ Sectæ æquali jure non poſſunt adducere pro veritate ſuarum Sectarum. Non occurrit tibi medius terminus pro tali argumento? Quære igitur medium Terminum in ponte Aſinino, cùm illud non habeas in cerebro.

Poſtremò dicis te ſupererogatoriè hoc Dilemma contra me addere: Aut iſta cornua(hoc eſt mea Dilemmata)ſunt inciſa(per tuas ſcilicet reſponſiones)& contrita aut non?Reſpon-

ſpondeo: Non tantùm non eſſe à te inciſa & contrita, ſed nec quidem attrita, imò neque attacta, omnes ſiquidem tuæ reſponſiones ad illa, ſunt nihil ad rem, nihil ad propoſitum, ſunt ſicut pugnus ad oculum, & ſicut pro exemplo in X ut Talpa. Et tales ut eas præ illarum indignitate, vix dignatus fuerim refutare, nam revera: omnia membra dolent, quando nihil dicitur ad rem. Subſumis. Si non? *Ergo reflexa in redhibitionibus.* (ſic tu eas vocas, quas nos retorſiones argumentorum dicimus) *ferient fortiùs adhuc, nam virtus duplicata eſt fortior.* Reſpondeo: Ita quidem eſt, quòd virtus duplicata ſit fortior, ſed non duplicatus error, aut duplicata falſitas. Error enim non corrigitur per errorem, nec foramen foramine clauditur, neque per multiplicatam falſitatem veritas firmatur.

Vi-

Videamus igitur : cujus roboris ſint hæ tuæ redhibitiones ſeu retorſiones & ſimul oſtendamus modum quo ſolvere debuiſſes mea Dilemmata. Ad ſolvenda ſiquidem Dilemmata requiritur 1. ut reſpondens unam partem ex illis eligat, eámq; ſolido argumento confirmet. 2. ut reſpondeat directè ad id quod quæritur. 3. ut non reſpondeat per id, quod æquè eſt in quæſtione ac fuerit id quod quærebatur. 4. ut non reſpondeatur idem per idem. 5. ut reſpondeat ad propoſitum & ad meritum rei, de qua quæritur. Igitur tua.

Prima Redhibitio eſt hæc.

Religio hodierna Romana Eccleſia vel eſt antiqua, vel nova? Reſpondeo, eſſe antiquam, nec aliam eſſe hodiernam Religionem

Roma-

Romanam, quàm illam quæ fuit temporibus Apostolorum & primorum quatuor Sæculorum.

Instas & quæris 1. *Si ita antiqua est, quis Apostolorum aut veterum Scriptorum Purgatorium, Indulgentias, Invocationes Sanctorum, Transubstantiationem docuit, aut professus est? quis veterum Scriptorum, Vicarij Christi, Cardinalium, Præpositi Generalis Jesuitarum meminit?* Respondeo ad singula directè: Purgatorium dari tenuit & professus est S. Paulus 1. Cor. 3. v. 13. & 75. ut è communi veterum SS. Patrum in hos Textus expositione & interpretatione clarè patet, & nominatim Origenis, Basilij, Hieronymi, Augustini, Ambrosij. Eandem veritatem ipse Christus docuit Matt. 5. v. 26. & Matt. 12. v. 32. Et ex antiquissimis Patribus præter jam citatos.

Tertullianus libro de Corona Militis cap. 4. & 5. S. Cyprianus Epistol. 52. ad Antoninum. Lactantius Firmianus lib. 7. Divinarum Institutionum cap. 21. S. Athanasius Quæst. 34. ad Antiochum Principem. S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 5. Mystagogica. S. Gregorius Nyssenus in oratione quam de dormientibus habuit. S. Augustinus in quàm plurimis locis.

2. Indulgentiarum (quæ nihil aliud sunt, quàm relaxatio pœnarum peccatis jam remissis debitarum) Institutor fuit ipse Christus verbis illis ad Petrum Matt. 16. v. 19. *Tibi dabo Claves Regni Cælorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in Cælis.* Quibus verbis dedit Christus Petro & ejus successoribus, fideles solvendi

 ab

ab omni eo, quod eis Cœli fores alioquin occludere possit, uti sunt pœnæ culpis debitæ & necdũ exsolutæ. Hujus autem relaxationis, in Ecclesia usus fuit ab ejusdem initio, ut constat ex Clemente Romano Constitutionũ Apostolicarum lib. 2. capite 16. Concilij Nicæni Can. 11. Concilij Laodicensis Can. 2. Tertulliano cap. 6. de pœnitentia. Cypriano lib. 3. Epistolarum. S. Augustino in Enchiridio cap. 5.

3. Antiquissimam esse Invocationem Sanctorum, ostendi superius § 8vo.

4. Transsubstantiationem ipse Christus Ecclesiæ revelavit clarissimè asserendo de pane: *Hoc est Corpus meum*, & de vino seu Calice: *Hic est Sanguis meus*. Eandem veritatem docuerunt & tenuerunt S. Justinus Martyr in sua Apologia. S. Irenæus lib. 4. cap. 32. qui

duo

duo Patres vixerunt primis statim Sæculis. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem. S. Cyprianus in Sermone de Cœna Domini, qui vixerunt tertio Sæculo. S. Cyrillus Catechesi 4. Mystagogica. S. Ambrosius in libro de ijs qui initiantur cap. 9. Patet igitur doctrinam de Transsubstantiatione esse antiquissimum dogma Fidei Ecclesiæ Christianæ.

5. Pontificem Romanum esse Vicarium Christi, recognovit semper tota antiquitas, ut videre est apud S. Clementem qui fuit Discipulus S. Petri, in sua Epistola, apud S. Ignatium Martyrem, in sua Epistola ad Romanos. S. Irenæum lib. 3. adversus Hæreses. S. Cyprianum in cap. Joan. 20. v. 21. Et alios quàm plurimos quorum Textus cito in Lutheranico *nusquam* & *nunquam* num. 44. Illud autem quod adducis de Gardinali-

bus, & Præposito Generali Jesuitarum nihil penitùs est ad propositum: Nam nec numerus, nec nomen Cardinalium, aut Præpositi Generalis Jesuitarum spectat ad articulos Fidei Romanæ. Sufficit quòd Romani Pontifices à prima Ecclesiæ Institutione habuerint semper penes se Viros Sapientes, ac prudentes, & Rerum Ecclesiasticarum ac dogmatum Fidei peritos, quorum utebantur in rebus agendis & Ecclesia gubernanda consilio. Quid tandem quòd tunc non vocabantur Cardinales, qui nihil aliud sunt quàm præcipui ejusdem Ministri, & Coadjutores, ac Consiliarij sic dicti, quod in illis, illorúmque Consilio velut in Cardinibus vertatur tota Ecclesiæ Gubernatio. An ideò tu negabis fuisse ante multa Sæcula Monarchiam Hispanicam, & Gallicam,

cam, quòd tunc consiliarij illorum, & ministri non vocabantur *Pares*, vel *Grandes*? vel Romanorum Imperium habuisse Militiam, ex eo, quòd tunc Officiales Militiæ non vocabantur Colonelli, Generales, Mareschalli, sicut de facto appellantur.

Jesuitæ verò non prætendunt nescio quam antiquitatem, imò profitentur se esse institutos post Lutheri Apostasiam ab Ecclesia, ad reducendas miseras animas, quas is suâ pestilenti doctrinâ seduxit, & infecit. Et ad convellendos ejusdem doctrinæ errores.

Quæris 2. *Quis Sacramentorum ritum præcipuè Cœnam Domini sub una Specie celebravit?* Respondeo: Ritum Sacramentorum profluxisse ab ipsis Apostolis teste S. Augustino lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 24. ubi ait:

Quod universa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolicâ traditum firmissimè creditur.

Usus verò Communionis sub una Specie fuit adhuc tempore Apostolorum: imò ab ipso Christo sic distribuebatur post suam Resurrectionem duobus Discipulis in Emmaus Lucæ 24. v. 30. & 31. Et ab Apostolis Actorum 2. v. 42. Item 20. v. 7. & v. 11. In quibus locis citatis, nulla fit mentio calicis, sed tantùm fractionis panis. Deinde post tempora Apostolorum, & ab ipsis temporibus illorum & statim ab initio Ecclesiæ, distributa fuit Eucharistia jam sub una Specie, jam sub utraque pro opportunitate loci & temporis. Claudis hanc tuam Redhibitionem insignibus duobus mendacijs.

dacijs. Primum est: Quòd Constantiense Concilium fateatur Sessione 13. In antiqua Ecclesia non fuisse usum Communionis sub una Specie, nam solùm fatetur fuisse hunc usum, & etiam ut sub utraq; Specie distribueretur Communio: In primitiva igitur Ecclesia distribuebatur Eucharistia fidelibus jam sub una, jam sub utraque Specie pro opportunitate loci ac temporis. Postmodùm invaluit usus communicandi communiter sub una specie, verùm occasione Hæresis Manichæorum, qui vinum dicebant à dæmone creatum, & ut laterent, accedebant ad Communionem cum Catholicis sub una Specie panis Communicantibus, Ecclesia instituit, ut Eucharistia distribueretur sub utraque Specie, ut sic discernerentur Manichæi à Catholicis: Cessante verò, & extirpatâ hâc Hæresi,

rursus Ecclesia reassumpsit priorem modum communicandi sub una Specie, in aliquibus tamen Ecclesiis remansit adhuc consvetudo communicandi sub utraque Specie. Concilium igitur Constantiense, ut in omnibus Ecclesiis esset uniformitas Communionis, statuit, ut etiam in illis particularibus Ecclesiis fieret imposterum Communio sub una Specie panis, uti & in cæteris Ecclesiis, idque propter Hussitarum Hæresim, qui docebant necessariã omnino esse Communionem sub utraque specie.

Alterum est, quòd doctrina de Purgatorio cœperit temporibus Gregorij Magni: Nam ut ostendi in Lutheranico *nunquam* & *nusquam* Numero 57. hæc doctrina de Purgatorio fuit in Ecclesia omnibus Sæculis ab initio Christi Ecclesiæ. Unde & ipse Lutherus ibidem

Ibidem citatus dicit se admodum certum esse dari Purgatorium ex hoc capite, quia(inquit)jam sunt plus quàm mille anni, quòd. S. Augustinus pro sua Matre, & Patre oraverit, & orari voluerit: vixit autem S. Augustinus ante Gregorium Magnum plus quàm duobus Sæculis, & fatetur hanc consvetudinem Orandi pro defunctis fuisse in Ecclesia longè ante sua tempora, & statim ab initio Ecclesiæ.

Redhibitio Secunda.

VEl Dominicani, Franciscani, & Jesuitæ sint dicendi Romano-Catholici, vel non? Respondeo: Omnino hos Sacros Ordines esse dicendos Romano-Catholicos, ac Ecclesiæ Romano-Catholicæ defensores, propugnatores, & propagatores.

Inſtas 1. *Si ita, quomodo igitur contrarias & oppoſitas opiniones circa articulos Fidei tenent, & adinvicem ſe graviſſimorum errorum condemnant.* Reſpondeo: Nullas omninò inter has Sanctas Religiones circa articulos Fidei contrarias & oppoſitas eſſe opiniones.

Inſtas 2. dicendo: Tales eſſe opiniones de Immaculata Conceptione Beatiſſimæ Virginis, de auxilijs gratiæ. Reſpondeo. Has materias non eſſe articulos Fidei. Quia neutra pars eſt adhuc declarata ab Eccleſia, quæ in his materijs debeat cenſeri pro articulo Fidei. Unde ſi Eccleſia determinabit, ſeu decidet, ac definiet RR. Patrum Dominicanorum ſententiam eſſe his in materijs tenendam, protinus eandem amplectentur Jeſuitæ, & viciſſim, ſi fuerit decifa pro Jeſuitis, RR. PP. Dominicani ſententiam ſuam retra-

retractabunt, & definitioni Ecclesiæ se per omnia accommodabunt.

Instas 3. Defacto inter Sorbonicos cum alijs Papistis est gravis controversia: Utrùm Papa sit supra Concilium, vel Concilium supra Papam. Ergo & Romano-Catholici circa articulos Fidei inter se dissentiunt. Respondeo: Hanc quoque materiam necdum esse decisam ab Ecclesia. Interim firmiter credunt omnes Romano-Catholici & ipsi Sorbonici, quòd quidquid Generalia definiunt ac decidunt Concilia, si simul adsit eorundem approbatio à Summo Pontifice id observandum esse fidelissimè: Atq; hæc fuit semper praxis in Ecclesia ab ejusdem initio, ut de controversijs motis licitum fuerit privatis Doctoribus pro, & contra disputare, usque ad decisionem Concilij, post decisionem autem Concilij, nemini.

Instas 4. Defacto Clerici Hispanici, & Gallici decertant inter se de Jure Regaliæ. Ergo nec Romano-Catholici inter se conveniunt circa Articulos Fidei. Respondeo: Ostendis te parùm versatum esse in materia Fidei, rebúsque politicis, *Jus enim Regaliæ*, non spectat ad materiam de Fide, sed ad materiam Justitiæ, & politiæ, quæ utique est adhuc controversa, cùm utraque pars salvâ Fide pro se adducat rationes. Aliàs si controversiam hanc ponis inter articulos Fidei, nunquam Catholici possent inter se Jure litigare, quia tu statim subsumeres, eosdē dissentire inter se circa articulos Fidei. Et nonne defactò est controversia in Hungaria circa decimas inter Clerum, & Nobiles, an easdem teneantur præstare, ex fundis colonialibus, quos suæ Curiæ applicue-

cuerunt? An etiam hos dices altercari inter se circa articulos Fidei?

Instas 5. Quid ergo sibi vult Bulla Innocentij XI. contra Jesuitas? Respondeo: Hanc esse novam tuam calumniam, nulla enim Bulla Innocentij XI. extat contra Jesuitas, quibus is erat addictissimus, planè ad invidiam aliorum. Et certus sum, quòd tu Bullam citatam Innocentij XI. non legeris, aut si illam legisti, certè illam non intellexisti. Bulla igitur illa non fuit contra Jesuitas, sed promiscuè contra omnes Theologos morales, qui laxiores circa Casus conscientiæ secuti fuerant sententias, quas inter nulla fuit propria Jesuitarum, & si aliqui ex Jesuitis docuerunt communem aliorum Sententiam, sequendo aliquam ex prædictis censuratis

propositionibus, statim post decisionem Innocentij eandem opinionem deseruerunt: Imò Jesuitæ authores fuerunt Innocentio, ut adhuc plures similes scandalosas, & periculosas vel saltem nimis laxas sententias condemnaret & doceri prohiberet. Ergo hæc tota tua Redhibitio evanescit.

Redhibitio Tertia.

Turcæ, Judæi, & Gentiles, ad Lutheranam fidem conversi, vel sunt conversi ad veram Fidem Christi, vel non? Respondeo primò negando suppositum, quòd aliquando aliqua Natio Turcica, vel Judaica, aut Gentilium, & Paganorum conversa fuerit ad fidem, & Religionem Lutheranam, neque enim hæc alio modo crevit, quàm per tepidorum Catholicorum per-

versionem. Imò vos Lutherani nec habetis modum adducendi ad vestram fidem aliquam Nationem Turcicam, vel Paganam. Quis enim Turcarum, aut Gentilium vobis credet: Quòd bona opera non sint necessaria ad salutem; quòd omnia peccata sint æqualia; quòd Humanitas Christi sit ubique. Quòd Deus sit quidem justus, sed tamen imponat talia præcepta, quæ observari non possunt, & tamen propter non observantiam illorũ homines æternùm puniat; certe hæc viderentur illis primâ statim fronte esse rectæ rationi opposita. Ad hæc nulla præstare potestis miracula in confirmationẽ vestræ fidei; nullum conveniens argumentum, ut aliquis ex Gentilismo, vel Turcismo, aut Judaismo potiùs vestram fidem amplectatur, quàm Calvinianam, Arianam, aut Ana-

Anabaptisticam, vel certè Catholicam. Sed supponamus aliquos Turcas, Judæos, vel Paganos converti ad Lutheranam fidem. Ad quæstionem tuam respondeo directè: Tales non converti ad veram Christi Fidem.

Instas 1. Cur ergo Pontificij tales Lutheranos non rebaptizant? Respondeo: Quia Baptismus non debet reiterari, etiamsi ab Hæreticis is conferatur, si tamen validè conferatur, hoc est, si materia, & forma Baptismi, ac intentio ex institutione Christi adsit in Baptizante.

Instas 2. Ergo per Baptismum regenerati, & per Dei verbum ad Fidem Christi conversi erant decepti. Respondeo: Omnino fuisse deceptos, & quidem gravissimè, quia pro vera Christi Fide, falsam fidem susceperunt. Nec per verbum

bum Dei *verum* ad Fidem Christianam sunt conversi; sed per perversam interpretationem & explicationem doctrinæ Christi seducti.

Instas 3. Ergo sunt omnes damnati? Respondeo affirmativè: Si in tali fide, hoc est, Lutheranica mortui sunt, nisi fortè illos ignorantia invincibilis excuset, per quam evadant solùm materiales Hæretici. & post Baptismum non incidant in aliquod aliud grave peccatum, & in eo ex hac vita decedant.

Redintibitio Quarta.

VEl aliqui Lutherani sunt in fide Luthenana salvati, vel nulli? Respondeo; Nullos formales Lutheranos salvari. Instas: Cur ergo aliqui ex ipsis Pontificijs Doctoribus asserant aliquos ex Luthera-

theranis salvari posse? Respondeo: Eos loqui de Lutheranis materialibus, qui aliunde bene vivunt, & gravia vitant peccata, uti paulò ante, etiam nos concessimus.

Redhibitio Quinta.

VEl aliquos Sanctos habuit Pontificia Ecclesia, vel nullos? Respondeo: Habuisse quàm plurimos, imò innumerabiles Sanctos Confessores, SS. Martyres, & SS. Virgines. Imò nullum Sanctum vos nominare potestis Novi Testamenti, qui non fuisset Romanæ Catholicæ Fidei.

Instas: Unde nobis constat de illorum Beatitudine, & salute, cùm Concilium Tridentinum teneat; nihil certi hac de re definiri posse Sess. 6. Can. 9. Respondeo: In loco à te citato Concilium Tri-

den-

dentinum, nullam planè mentionem hujus rei facere, & Canonem illum, quem citas toto cœlo esse de alia materia. Sed fortassis citare voluisti Canon. 16. & Can. 17. Ejusdem Sessionis in quibus definitur: Neminem certum esse absolutâ & infallibili certitudine de sua perseverantia usque ad finem, nisi hoc ex speciali revelatione habuerit, aut se esse justificatum. Verumetiam hi Canones, nihil faciunt ad tuum propositum, loquitur enim Concilium de hominibus, qui adhuc in hac vita sunt.

Nam ut S. Augustinus Sermone 35. de verbis Domini, inquit: *Quamdiu hic vivimus, de nobis ipsis nos ipsi judicare non possumus, non dico, quid cras erimus, sed quid hodie sumus.* Aliud verò est de vita functis, qui ampliùs gratiam, & eidem convenientem Beatitu-

titudinem amittere non possunt: Certitudinem autem de illorum Beatitudine, ex definitione Ecclesiæ habemus, quæ sicut errare non potest in definiendis alijs articulis Fidei, ita nec sū declarando aliquem esse salvum & Beatum, quæ definitio ab Ecclesia non fit, nisi præmisso examine rigidissimo de illorum vita sancta, & virtutibus maximis, atque in vita, & post mortem plurimis miraculis.

Redhibitio Sexta.

TEmpore Constantini Magni, cùm is ad sui conversionem omnes Doctores Ecclesiæ convocaret, vel erant in rerum natura Ecclesiæ Papalis Doctores, vel non erant? Respondeo: Fuisse quàm plurimos. Et talis fuit Sylvester, tunc temporis Romanus Pontifex,

à quo

à quo Constantinus Magnus in Fide instructus est, & ab eodem baptizatus, tales fuère præter alios 318. Patres; qui Concilio Nicæno interfuerunt.

Instabas: *Si erant, ostenderunt se valdè ignaros, inertes, & vecordes, nullúmque penitùs animarum zelum habentes; quòd non illicò accurrerint, & prædicârint. Pontificem Summum rei Christianæ, utpotè infallibilitatem Papæ, tanquam Universalis Episcopi.* Respondeo: Omninò illos illicò accurrisse, & hanc ipsam veritatem prædicâsse in eodem Concilio sic definiendo ac decidendo: *Qui tenet Sedem Romæ, Caput est & Princeps omnium Patriarcharum. Quandoquidem ipse est primus, sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, & quòd sit vicarius Chri-*

Christi Domini nostri super cunctos populos, & cunctam Ecclesiam Christianam. Et quicunque contradixerit à Synodo, excommunicatur. Subſumo : Atqui Lutherani huic Decreto Concilij Nicæni contradicunt. Ergo.

Redhibitio Septima.

Ecclesia Romana in Concilio Tridentino, repræsentata & Græca ante Sæculum sextum, vel erat visibilis, vel invisibilis? Reſpondeo : Eccleſiam Romanam ſemper fuiſſe à temporibus Apoſtolorum viſibilem.

Inſtabas 1. Si fuit viſibilis, quis illam vidit? Reſpondeo : Omnis quicunque cœcus non fuit. Vidit ipſe S. Paulus, qui ad Romanos ſcribens teſtatur Fidem Romanam eſſe Fidem ſuam, & Fidem ſuam eſſe

Fidem

Fidem Romanam. Viderunt SS. Patres primorumquinque Sæculorum, & Scriptores omnium subsequentium Sæculorum, qui illam doctissimis suis Scriptis propugnaverunt.

Instabas 2. Quibus constabat hominibus aut Nationibus? Respondeo: Primò quidem Latinis, & Græcis, successu verò temporis, Hispanis, Gallis, Germanis, Anglis, Hungaris, Polonis, & omnibus Nationibus.

Instabas 3. Ubi locorum erat, ut illam quis audire, & ad eam recurrere potuisset? Respondeo: Romanam quidem Religionem fuisse per totum Orbem diffusam, sed Sedem Romani Pontificis fuisse Romam, ad quam proinde omnes recurrere poterant, & eundem audire tenebantur. Audi hac de re ipsum Justiniani Imperatoris Codi-

Codicem, lib. 1. titulo de Summa Trinitate leg. 6. *Custodiamus constitutionem Unionis Sanctissimarum Ecclesiarum, cum Papa Senioris Romæ. Neque enim sustinemus quidquam eorum, quæ ad Ecclesiasticum Statum spectant non referendum ad eum; utpote qui caput est omnium pijssimorum Sacerdotum.*

Instabas 4. Idem, & eodem jure de sua Ecclesia omnes Græci dicent? Respondeo: Græcos id de sua Ecclesia nullo jure posse dicere, nam ante Schisma Græcorum, omnes Christiani Græci dicebantur, ac fuerunt Religionis Romanæ, & Constantinopolitana Ecclesia, sub universali Romana continebatur. Audi iterum eundem Justinianum Imperatorem Novellâ 13. lege 1. *Sancimus vicem Legum obtinere Ecclesiasticas Regulas,*

quæ

quæ in Sanctis quatuor Conciliis, Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, & Chalcedonensi firmata sunt. Prædictarum enim quatuor Synodorum Dogmata, sicut Sacras Scripturas accipimus, & Regulas sicut Leges observamus. Et Lege II. *Ideòque sancimus secundùm earum Definitionem Sanctissimum Senioris Romæ Papam, primum esse Sacerdotem: Beatissimum ArchiEpiscopum Constantinopolitanum secundùm habere locum post Sanctam Apostolicam Senioris Romæ Sedem:* Idem habetur & ex Concilio Chalcedonensi Actione 3. ad Leonem Papam. Confirmamus *Patrum Regulam*, ut post nostram Sanctissimam & Apostolicam Sedem, honorem suum habeat Constantinopolitana, quæ *secundò* est ordinata. Ergo Græci non possunt id dicere de sua Ecclesia, quod Romani de sua.

Redhibitio Octava.

Ecclesia Romana, vel tenet omnia ea, quæ tenuit primitiva Ecclesia primis quatuor Sæculis, vel non? Respondeo: Ita omninò.

Instas 1. Si ita: *Ergo admittere debet omnia, quæ docuerunt & crediderunt SS. Patres, & Concilia eo tempore?* Respondeo: Iterum ita,& vel maximè. Subsumis. *Hujusmodi autem sunt Sacræ Scripturæ perfectio.* Respondeo: Romano-Catholicos defactò quoque eandem perfectionem Sacræ Scriptutæ tribuere, eandem siquidem venerantur ut verbum Dei, eámque asserunt & tenent esse certissimam, veram, omnis erroris atque falsitatis expertem.

Subsumis 2. *Hujusmodi est Justifi-*

stificatio per solam Fidem. Respondeo: Nullum omninò ex SS. Patribus hanc doctrinam tenuisse, sed oppositum planè credidisse. Lege testimonia eorundem, quæ adduxi in *Responsis non responsis* Timothei Philaleti ad hoc ipsum Dilemma. Et hinc apparet, quomodo vos Lutherani perfectionem Sacræ Scripturæ æstimetis, cùm eidem addatis per *solam* Fidem, quæ particula ly per *solam* Fidem non habetur in Scriptura Sacra.

Subsumis 3. *Hujusmodi est Communio sub utraque Specie?* Respondeo: Neque hanc doctrinam ab ullo Sancto Patre teneri, sed tantùm, quòd in Eucharistia sumamus verum, & reale Corpus, & verum ac realem Sanguinem Christi, quæ sunt æquè sub una, ac sub utraque Specie.

Subsumis 4. *Hujusmodi est etiam*

bonorum operum imperfectio? Respondeo: Imperfectionem dupliciter sumi posse, vel pro negativa imperfectione, vel pro positiva. Negativa imperfectio est negatio majoris perfectionis, & in hoc sensu, & veteres SS. Patres; & moderna Ecclesia Catholica agnoscunt esse imperfecta nostra opera; omnia siquidem nostra opera possunt fieri cum majori & majori semper perfectione, vel ex objecto motivo, vel ex intensione, vel ex extensione. Alia est imperfectio positiva, cujusmodi est oscitantia, negligentia, languor, &c. in exercitio bonorum operum: & hanc frequenter intervenire in bonis nostris operibus notum est. Sed de his non est inter vos, & Catholicos quæstio. Sed hæc: Utrùm bona opera Divinæ gratiæ ope subnixa, digna sint ac meritoria vitæ
æter-

æternæ, & affirmativam tenent Catholici; ac tenuerunt omnes omninò veteres SS. Patres, qui vixerunt etiam primis quatuor Sæculis, & tota primitiva Ecclesia.

Redhibitio Nona.

Doctrina Papistica, prout nunc in Hungaria viget, vel est conformis Concilio Tridentino, vel non? Respondeo: Esse omninò, & per omnia conformem.

Instas 1. *Si est conformis Concilio Tridentino, debent Papistæ omnia admittere, quæ hoc Concilium admisit.* Respondeo: Omnia illa omninò nos admittere.

Instas 2. *Atqui Concilium Tridentinum admisit corruptionem doctrinæ in Romana Ecclesia. Sessione 6. de reformatione cap. 1.* Respondeo: Tu verò corrumpere

intendis textum Concilij Tridentini loco citato. Quod ibi loquitur, non de corruptione doctrinæ, ſed de corruptione diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & de depravatione morum in Clero, & populo Chriſtiano ut ipſe titulus præfert *de Reformatione*. Duplicia ſiquidem Statuta, & Canones fuerunt in Concilio Tridentino. Primi generis, de doctrina, occaſione novarum Hæreſum excitatarum, quas inter fuit prima Hæreſis Lutherana. Secundi generis ſuêre de Reformatione morum: ſicuti eſt locus ille, quem tu citâſti.

Inſtas 3. *Concilium Tridentinum dicit ſub pœna anathematis eſſe eos, qui docent Clericos in Sacris Ordinibus conſtitutos, poſſe matrimonium contrahere.* Reſpondeo: Ita ſanè, & hoc etiam Romano-Catholici nunc quoque diligentiſſimè obſervant, in Hungaria etiam. Sub-

Subſumis deinde: *Romano-Catholici in Hungaria neutrum admittunt*? Reſpondeo: Id quod jam aſſeris falſiſſimum eſt.

Inſtas iterum: *Romano-Catholici in Hungaria negant conſtantiſſimè Eccleſiam Romano-Catholicam unquam corruptam fuiſſe.* Reſpondeo: Omninò id negant & rectè, vera ſiquidem Eccleſia Chriſti, & Dei vivi, eſt Columna & fundamentum veritatis. Adeóque in Doctrina Fidei errare non poteſt. Neque unquam Concilium Tridentinum aliquem errorem quoad doctrinam Fidei agnoſcit in Romanam Eccleſiam irrepſiſſe. Sed bene morum, quod etiam nos admittimus & deploramus. Si enim temporibus, quibus incepit delirare Lutherus contra Eccleſiam, incorrupti mores fuiſſent Religioſorum, & Ec-

clesiasticorum, statim ad initium Lutherus in suo stercore oppressus fuisset.

Subsumis ultimò. *Si juxta Concilium Tridentinum in Sacris Ordinibus constitutis non licet Matrimonium contrahere. Cur ergo in Hungaria Apostatis (conversis à suis erroribus ad veram Fidem) ex ministerio Lutherano deficientibus, uxores hactenus indulserunt cum potestate baptizandi, & concionandi, quos etiam novo nomine Licenciatorum appellârunt.* Respondeo: Planè hâc responsione in Jure Canonico, uti in priore in Jure Justiniano, te minimè versatum esse ostendis. Jus enim Canonicum & Concilium Tridentinum, (quæ fuit praxis primitivæ quoque Ecclesiæ) solùm inhibet matrimonium contrahere Clericis in Sacris Ordini-

dinibus constitutis. Quia verò, qui ex ministerio Lutherano ad Catholicam Ecclesiam redierunt in Hungaria, non sunt constituti in Sacris Ordinibus (nullus siquidem apud vos ordinatus hos suscipit) sed meri Laici sunt,& nec quidem Clerici, ideò illis uxores indulgemus, cum potestate etiam baptizandi, & concionandi, quod Jus habent apud nos etiam nati Catholici, illi quos Licenciatos vocamus, quibus impertimur hanc licentiam, sed non licentiam Sacramenta Eucharistiæ administrandi.

Redhibitio Decima.

Romana Ecclesia, vel habet veram Scripturam Sacram, vel non habet? Respondeo: Eam omninò habere Scripturam Sacram, atque illius conservatricem illiúsque

que interpretem esse, & hactenus, & à sui exordio fuisse.

Instas 1. *Si habet, unde illam accepit?* Respondeo: Romanam Ecclesiam Scripturam Sacram accepisse ab ipsis Apostolis, & eorundem Successoribus per continuam traditionem Ecclesiæ. Nam sicuti S. Augustinus lib. 28. cap. 2. ait de Evangelio Matthæi: *Istum librum credo esse Matthæi, quia ex illo tempore, quo Matthæus ipse vixit, non interruptâ serie temporum Ecclesia certa connexionis successione usque ad tempora ista perduxit.* Et lib. 15. de Civitate Dei cap. 23. *Authoritas in veracium Scripturarum, à Patribus ad nos certissimâ successione pervenit.* Et contra Epistolam fundament. c. 5. *Actibus Apostolorum necesse est credere si credo Evangelio, quoniam utramque Scripturam similiter mihi*

hi Catholica commendat Ecclesia. Quod ipsum debent fateri etiam ipsi adversarij. Nam Calvinus lib. 1. cap. 8. n. 9. sic habet: *Quærunt, quis nos certiores fecerit, à Moyse & Prophetis, hæc fuisse Scripta, quæ sub eorum nominibus leguntur? certò certius est, ipsorum Scripta non aliter pervenisse ad posteros, quàm de manu ad manum, ut ita loquar, perpetuâ annorum serie à Patribus traditione.* Et *Kemnitius* Lutheranus in Examine Concilij Tridentini Session. 4. sic scribit: Ubi non possunt proferri certissima documenta, primitivæ Ecclesiæ, ex testificationibus veterum, qui non longè post tempora Apostolorum vixerunt, Libros illos fecisse, sine dubitatione, & sine contradictione pro legitimis acceptos, non valent, ulla humana decreta. Et *Hunnius* Colloq. Ratisbonensi Sess. 11.

sic loquitur: Quòd Epistola ad Romanos citata sit Pauli, habemus ex primitivæ Ecclesiæ testimonio. Non ergo opus fuit Romanæ Ecclesiæ Scripturam Sacram, hoc est, Canonem Sacræ Scripturæ à Judaica Synagoga accipere: imò hæc omnes novi Testamenti Libros à suo Canone rejicit, & vicissim Romana Ecclesia ex Libris veteris Testamenti pro Canonicis habet aliquos, quos Synagoga Judaica non habet, ut inquit S. Augustinus lib. 18. de Civitate Dei cap. 36. Libros Machabæorum non Judæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet. Unde tua Redhibitio seu retorsio, quam firmas in supposito, quòd Ecclesia Romana à Judaica Synagoga acceperit Scripturam Sacram, penitùs corruit.

Redhi-

Redhibitio Undecima.

VEl omnes Libri Scripturæ Sacræ reprobati ab Ecclesia Judaica, & antiqua Christiana, sunt verè Apocryphi, vel non? Respondeo: Omnes esse apocryphos, quos Ecclesia antiqua Christiana reprobavit tanquam apocryphos; Non autem omnes quos reprobavit Judaica, nam aliàs omnes Libri novi Testamenti essent apocryphi. Instas: *Si ita. Cur ergo ex ijs, qui initio Ecclesiæ pro apocryphis habebantur, nunc pro Canonicis, ver.gr. Libros Machabaeorum Pontificij habent?* Respondeo: Nomen Libri apocryphi vario modo accipi à Scriptoribus Ecclesiasticis: primò pro illo, cujus Author quisnam fuerit, procertò nescitur. Secundò pro eo, de quo dubium

est, an sit ab Ecclesia acceptatus pro Canonico,& tales Libri dicuntur apocryphi tamdiù, donec non declarentur ab Ecclesia esse Canonici. Tertiò pro illis, qui sunt, permixti aliquibus erroribus, & ob id positivè sunt ab Ecclesia rejecti, & in hoc tertio sensu dico omnes esse apocryphos, quos tales esse, Ecclesia antiqua Christiana judicavit. Tales verò non sunt Libri Machabæorum, & alij qui sunt postmodùm inter Canonicos ab Ecclesia relati.

Redhibitio Duodecima.

Liber Machabaeorum II. aut est apocryphus, aut Canonicus? Respondeo: Esse Librum Canonicum. Infers: *Ergo & Liber IV. Esdræ est Canonicus?* Respondeo negando illatum. Urges: *Utriusque*

est

est par ratio. Ergo. Respondeo negando antecedens, diversitas rationis est, quòd Liber II. Machabæorum sit ab Ecclesia declaratus esse Canonicus, Liber verò Esdræ declaratus ab eadem Ecclesia apocryphus. Probas antecedens: *Æquè non habebantur hi Libri à vera antiqua Ecclesia pro Canonicis.* Respondeo negando antecedens: Quia Liber IV. Esdræ est positivè reprobatus etiam ab antiqua Ecclesia tanquam in aliquibus erroneus, Liber verò II. Machabæorum nunquam est taliter reprobatus, sed tantùm in suspenso aliquamdiù habitus, posteà pro Canonico ab Ecclesia computatus, & approbatus, & priùs adhuc ante approbationem hanc, ab aliis Sanctis Patribus pro Canonico æstimatus, ut à Cypriano (qui vixit tertio Sæculo) in Libro ac exhor-

hortatione ad Martyres cap. 11. à S. Gregorio Nazianzeno (qui vixit quarto Sæculo) in oratione de Machabæis, à S. Ambrosio)qui vixit pariter quarto Sæculo. De hujusmodi igitur generis Libris apocryphis licuit sentire Scriptoribus ante declarationem Ecclesiæ pro suo libitu, an sint, & quo sensu sint apocryphi, non verò post. Sic etiam maxima controversia fuit inter Doctores Ecclesiæ, utrùm illi, qui baptizati sunt ab Hæreticis, quando redeunt ad Ecclesiam Catholicam, debeant iterum rebaptizari, & utraque pars habuit suos propugnatores, postquam autem Ecclesia determinavit, ac declaravit non esse rebaptizandos, cessavit omnis controversia in Ecclesia.

Redhi-

Redhibitio Decimatertia.

Vel Pontifices Romani fuerunt fallibiles in sua doctrina, vel non? Respondeo? Quòd quando Pontifices aliquid decidunt publicè circa doctrinam Fidei, vel mores, tanquam Vicarij Christi, & visibile caput Ecclesiæ, seu ut loquimur ex Sede Apostolica decisiones illas esse infallibiles. Idq; ex compromissione Christi Domini, S. Petro facta verbis illis: *Rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua, & tu conversus, confirma fratres tuos.* Lucæ 22. Si autem ex Cathedra publicè decidens posset errare, non tam confirmaret aliquando Fratres, quàm fortè deciperet, nec tam fulciret, quàm fortè pessundaret Ecclesiam Dei.

Instas 1. *Si non sunt fallibiles*

Pon-

Pontifices dicentes publicè, & ex Cathedra S. Petri aliquid de doctrina Fidei, vel morum. Ergo tu Papista omnia illa quæ Pontifices Romani sic deciderunt, debes quoque admittere. Respondeo: Omnia omninò nos Catholicos debere admittere, quæ sic deciderunt Romani Pontifices circa doctrinam Fidei, & morum.

Subsumis nequiter: *Atqui Bonifacius I. Anno 720. Moniales concionari posse docet, & actu permisit.* Respondeo: Bonifacium primò gubernâsse Romanam Ecclesiam ab Anno 418. usque ad Annum 423. Ergo Bonifacius I. non potuit dare hanc concionandi facultatem Monialibus anno 720. Deinde toto Sæculo octavo, hoc est ab Anno 700. ûsque ad Annum 800. nullus Romanus Pontifex fuit Bonifacius nomine; Ergo nec alter

alter hujus Nominis eandem facultatem iisdem dare Anno 720; ut tu asseris potuit eandem illis communicare. Tertiò: Frustra adducis hoc in puncto pro teste Emmanuelem Sá ex Aphorismis Confessariorum in verbo *Fæmina*. Ibi enim Emmanuel Sá aliud non habet quàm hanc propositionem: *Fæmina non potest prædicare nisi ex Papa licentia*. Quæ utique si aliquando daretur fœminis aliquibus in particulari, deberet ea ex gravissimis causis illis concedi. Quòd autem hac in parte facitis vos Lutherani? Certè in multis locis diebus Dominicis apud vos in Hungaria, etiam à fœminis prælegantur Postillæ loco concionis Prædicantium, & memini me quoque puerum tunc, interfuisse tali lectioni. Et quod plus est, proximis annis Leutschoviæ in Hungaria,

quæ-

quædam honesta Matrona (quæ etiam nunc vivit, & conversa est ad Fidem Catholicam) vobis Lutheranis non solùm Postillam prælegebat diebus festivis, & Dominicis, sed & Eucharistiam ac alia Sacramenta administrabat. Quid ergo vos hac in parte triumphare vultis cum malè citato Bonifacio?

Subsumis 2. *Atqui Gregorius VII. Sacrilegia & Nicromantiam licitam esse docuit.* Respondeo: Manifestissimam hanc calumniam ab Hæreticis impingi Sanctissimo huic Pontifici, occasio autem hujus calumniæ fuit rancor, & vindicta nonnullorum Germanorum Scriptorum, quos interfuêre *Benno*, & à te pro teste adductus *Urspergensis*, ex eo capite ortum ducens: Quòd Gregorius VII. Imperatorem Henricum IV. ob gravissimos illius excessus, & plurima scele-

ſcelera excommunicaverit, & à communione Fidelium ſeparaverit, ac tandem etiam Imperio privaverit. Cæteri autem Scriptores illius temporis, Gregorium VII. à Doctrina, Sapientia, & Sanctitate mirè deprædicant, non ſolùm exteri, ſed & plurimi Authores alij & Hiſtorici etiam Germani, quos videre eſt apud Bellarminum lib. 4. cap. 13. quorum authoritas, & multitudo prævalet duorũ paſſionatorum Scriptorum temeritati.

Subſumis 3. *Atqui Joannes XXIII. Reſurrectionem mortuorum negavit.* Reſpondeo: Hanc quoque ſubſumptam eſſe pariter meram calumniam, vel ad minimùm inſtantiam hanc nihil eſſe ad propoſitum. Joannes enim XXIII. non fuit certus, & indubitatus Pontifex, unde etiam in citato à te Concilio Conſtantienſi demotus

tus fuit, sed non propter hanc doctrinam, verùm propter illegitimam suam Electionem. Occasio autem hujus erroris imputati Joanni XXIII. fuit solùm communis vulgi opinio, quæ quia videbat Joannem vitæ esse dissolutæ, existimare cœpit atque etiam dicere eum non credere vitam æternam, & carnis resurrectionem.

Instas 2. *Atqui Sixtus V. Papa Sodomiam in tribus mensibus æstivis licitam esse docuit.* Respondeo: Hanc quoque calumniam esse supra omnes alias calumnias & mendacium mendacissimum. Quis enim tibi credat hunc Pontificem, qui ex infimo planè statu per suam Doctrinam & Prudentiam ad Summum Pontificatûs Statum pervenit, tantum scelus licitum esse docuisse. Nonnè omnium Doctorum Catholicorum

hæc

hæc est unanimis doctrina, quòd Pontifex in ijs, quæ sunt prohibita Jure Divino vel naturæ, minimè possit dispensare? Ubi legisti hujus Pontificis hac de re Bullam, vel Privilegium, vel dispensationem, aut ubi relatio authentica hujusejusdem doctrinæ habetur? Certè ex omnibus hujus Pontificis actis, patet illum semper proniorem fuisse ad severitatem, quàm ad laxitatem, inducendam. Tota igitur hæc fabula est à vobis Hæreticis conficta, neque enim vestram Religionem firmare potestis contra Fidem Catholicam aliter, quàm meris puris mendacijs, calumnijs & figmentis contra eandem, sic miseram plebem in odium illius concitantes, ac in gravissimis vestris erroribus confirmantes.

Redhibitio Decimaquarta.

VEl omnes Sectæ hujus Sæculi sunt veræ, vel una tantùm Romana est vera, & reliquæ falsæ. Respondeo: Unam & solam Romanam Fidem, ac Religionem esse veram, reliquas autem omnes in mundo Sectas esse falsas.

Instas: *Si una tantùm Romana Fides est vera, debet hæc adducere tale argumentum pro sua veritate nequit eodem Jure pro se adducere contra alias.* Respondeo: Debet omninò.

Urges: *Tale autem argumentum Papalis Secta non potest pro se adducere: Ergo.* Respondeo more Hispanico: Mentiris antecedens. Talia autem argumenta ego adduxi in Xenio vobis oblato anno currenti

renti 1702. non unum sed 50. ex quibus paucula hîc repeto. Primum sit: Quia verum est aliquos & quàm plurimos in Romano-Catholica Fide salvatos esse, adeóque Deo placuisse, ergo fuerunt in vera Fide; sinè vera Fide siquidem Deo placere nemo potest 2. Quia doctrina Ecclesiæ Romanæ per omnia est conformis doctrinæ SS. Patrum primitivæ Ecclesiæ, aliarum autem Sectarum penitùs difformis, uti ostendi in varijs meis opusculis & nominatim in *Responsis non responsis*: in *Lutheranico Nunquam & nusquam*, in *Solutione sex præcipuorum dubiorum Acatholicorum*. 3. Quia omnes Sancti Novi Testamenti fuerunt hujus Fidei, etiam illi quos vos pro Sanctis tenetis, & quorum festa celebratis. 4. Quia pro veritate Fidei Romano-Ca-

tholicæ tot millia Martyrum mortem subivêre. 5. Quia Romana Fides fuit Fides S. Pauli, & S. Pauli fuit Fides Romana. 6. Quia habet successionem doctrinæ suæ, & Pastorum ab Apostolis usque ad præsens tempus. 7. Quia ad hanc solam Fidem omnes Gentes ex Paganismo sunt conversæ. 8. Quòd in sola Romano-Catholica est unitas doctrinæ Fidei. 9. Soli illi convenit Nomen Catholicæ seu universalis Fidei, utpotè per totum Orbem diffusæ. 10. Sola hæc Religio docet declinare à malo, & facere bonum. 11. Sola svadet non tantùm servari Præcepta Christi, sed etiam consilia sequi. 12. Sola hæc Religio est miraculis firmata, & à tot Tyrannis, & Hæresibus impugnata, semper tamen mansit invicta. vide plures rationes in citato libello, *Quinquaginta Rationum*,

rium, cur Romano-Catholica Fides sit omnibus alijs modernis Sectis præferenda.

Redhibitio Decimaquinta.

VEl datur aliquis Hæreticus, vel non datur? Respondeo: Dari quàm plurimos, proh dolor! & tales sunt moderno Sæculo Lutherani, Calvinistæ, Puritani, Anabaptistæ, &c.

Instas 1. Si ita: *Unde scio Arium, vel Lutherum, vel Calvinum fuisse Hæreticos?* Respondeo: Quia ille, nempè Arius, ut talis declaratus est per Concilium Generale Nicænum, & hi, per Concilium Generale Tridentinum.

Subsumis: *Etiam Papistæ sunt damnati à Concilio, in formulâ Concordiæ octo millibus Theologorum Lutheranorum constante. Er-*

go etiam Papistæ sunt Hæretici & eorum doctrina est Hæretica? Respondeo: Ridicula est planè hæc tua Instantia, & Subsumpta. Annè ideò Augustissimus noster Imperator non est Rex Hungariæ: quia Ugocsiensis Comitatus reclamavit ipsius Coronationi? licèt eidem consenserit totum Regnum Hungariæ. Fuítne hic Conventiculus Concilium Generale? fuerúntne ad illum convocati Episcopi, & Doctores ex toto Orbe? certè Conventiculum hunc omnes Catholici irriserunt, & Calvinistæ exploserunt, sed multi etiam Lutherani eidem contradixerunt,& subscribere pleriq; Principes, & Civitates Lutheranæ recusârunt, quin & scriptis publicis eum refutârunt, & eos qui eidem subscripserunt pro risu habuerunt, his versiculis:

In

In libro vitæ, qui non potuêre
notari
Nomen in hunc librum compoſuêre ſuum.

Et ſanè ex pauculis prædicantibus, hic Conventiculus conſtabat, poſtmodum verò, multi quidem non Theologi ſed Ludimagiſtri, & ſæculares, partim metu, partim minis adacti, vel dolo inducti eidem ſubſcripsêre. Mox & Theologi Palatinales Calviniſtæ expoſuerunt hujus libri 32. craſſiſſima mendacia, item 18. graviſſimas falſitates, ac duas & ſexaginta contradictiones, quæ in eodem continentur.

EPILOGUS.

Vides jam, quàm ſint debiles hæ tuæ Redhibitiones ſeu Retorſiones, quæ magìs confirmant mea Dilemmata, quàm à te adductæ illorum ſolutiones ea infirment.

Nam duæ nullæ non augent summam, & duo errores minùs firmant veritatem quàm unus. Et planè videris mihi in his tuis Redhibitionibus seu retorsionibus, similis illi asino Æsopico, qui videns catellum pedibus assilientem ad Dominum, benevoléque accipi à Domino, eidem abblandiendo, illúmque mulcendo, ipse quoque luto infectus suis pedibus tentavit assilire in suum Dominum; similem apud eum gratiam & favorem sperans se accepturum, sed Dominus inique id ferens, mandavit famulis suis, egregiè illum baculis delumbari, ob tam temerariam præsumptionem. Neque enim Dilemmata quadrant pro omni omnino materia; sed in materia tali, ut quidquid tu neges, vel affirmes, incurras in alterum cornu, & æquè forte. Redhibitio-

tiones autem & retorſiones, majorem adhuc requirunt conſiderationem. Per ſe enim nihil valent, ut ſi exempl. gr. puer aliquis reprehenſus à maturo viro, reponat, quidquid is eidem dixerit, noviſſimè autem ei dicat ut taceat, quia infans eſt, & hic eidem reponat; tu ipſe infans es, ſanè puerilis eſſet hæc, pueri redhibitio ſeu retorſio: Hæc tu tibi applica.

FINIS.



Errata typi sic corrige.

Pa	li	Errata.		Correcta.
6	2	est	lege	esse
	22	quòd		quod
15	3	vobismetipsis		vobismetipsis:
23	23	posse eà		posse
24	7	est est		est. Est
43	13	sequella		sequela.
	17	sequellam		sequelam
48	23	ostenderis		ostendes.
70	13	non non		non
80	17	aut		ut
83	21	minorem.		minorem.
107	6	Antiquitas.		omittitur
113	22	cubmurmuras		submurmuras,
121	11	quænam		quinam.
123	15	Au gustini		Augustini
	16	etia m		etiam
	17	M chabeorum		Machabæorum
	18	declaratu		declaratus
134	3	sumpseram		subsumpseram
137	4	Igitur, vivente igitur.		Igitur vivente
	12	sumpseram		subsumpseram,
	17	suscipatur		susciplatur],
145	13	ceate		certe
147	2	ac		ab
158	14	quòd		quod
168	15	75		15
158	13	&		nec
194	16	Scipturæ		Scripturæ
201	13	ha-nc		hanc
205	15	Machabæorum		Machabæorum,
211	3	illis		illis
212	18	interfuère		inter fuêre

Reliqua attentus Lector facilè corriget.

